



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

T.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

T.  
TITULUS I.  
TEMPERAMENTA.

**T**ulerunt que Philisthim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon; & statuerunt eam iuxta Dagon. 1. Reg. 5. 2. Philisthai non plane volebant habere Arcam contumeliosè, neq; omnino venerari in templo Dagonis eam reposuerunt: ubi profani Sacerdotes unâ manu suo veteri. Numini thus adolebant, alterâ novè Deitati. Cultûs illa permissio Dei ita displicuit; ut, qui priûs captivitatis infamiam dissimulaverat, tunc novi cultûs auctores pœnis cumulârit: *Aggravata autem est manus Domini.* 1. Reg. 5. 6. Petrus Cellens. l. 1. ep. 21. quamvis in fronte duos habeat oculos; tamen eos ab uno officio disjungere non valet; ut altero cœlum, altero terram contueatur. q. d. nullâ est spes, unâ actione satisfieri Christo posse. & Mundo; canonibus sacris, & politicis legibus; commodis Religionis, & cupiditatis commodis. Si frons una duobus oculis inspicere non potest. Orientem, & Occidentem; quomodo poterit anima una, & indivisa, unâ simul operatione satisfacere naturâ corruptâ, & sanctissimæ gratiæ; justitiæ utilitates suas abdicanti, & rapacitati insatiabili; Ecclesiæ rebus, & familiæ suæ incremento. Oliva t. 2. conc. 28.

*Vade, & percutite Amalec.* 1. Reg. 15. 3. Profectus, quò mittebatur, regnum morti addictum in vasis: at, cum implendum fuit divinum præceptum; molestum visum est, triumphatori regem Agag captum occidere, pretiosam ejus gazam concremare, & mactare armenta pinguium. Ideò temperamentum volens invenire; cum esset cupidus animi grati in Deum exhibendi, cui acceptam referebat victoriam; & cupidior gloriæ magnè triumphò suò comparandâ; in qua victus rex duceretur: plebeios omnes, qui capti in prælio erat, occidit; at regi vitam donavit. Similiter, ut iustis Samuelis pareret, boves mœci lentos occidit; & ut satisfaceret avaritiæ, secum abduxit pingues. Dici non potest, quantopere succensuerit Deus temperamento illi sacrilego, & temerariæ illi confusio; quò miscebantur obsequium præceptis suis, & obtemperatio utilitati propriæ. Idem ibidem.

*Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos, à signis tuis.* Psal. 64. 9. S. Hilarius hic: qui terminos in habitant? qui scilicet nec à carne absunt, nec in totum interna carnis exercent ceterum timentium trepidatio ex ambiguae habitationis incerto est. q. d. hos

specialiter Deus detestatur; qui habitant in confinio justis, & injustis; boni universalis, & privatæ utilitatis; quo non totos se spiritui tradunt, nec omnino rapiuntur à sensibus. Verbò, qui temperamentis utuntur laudatis politicis; sed execrandis divinæ potentia. Oliva ibidem.

*Qui non est mecum, contra me est.* Luc. 11. 23. Qui apertâ fronte non declarat se defensorem oppressi, recensendus est inter opprimentes: quia, qui à calamitate non sublevar, infert. Idem ibidem.

*Emendatum ergo illum dimittam.* Luc. 23. 16. Pilatus, cum non auderet dimittere quem facebatur innocentem; nec vellet furori insanæ multitudinis accommodare se; columnam posuit, ad quam Christus, nec dimissus, nec necatus, laceraretur verboribus. *Emendatum ergo &c.* Consequentia pessima, & Tartarea deformitas mediæ conditionis; quæ semper est noverca justorum decretorum, & mater perniciosorum consiliorum. Si eum declaras innocentem, cur verberibus plectis? mox adverte futurum malum levius; ad primos plebis clamores tradidisset Christum victum impietati. Sed quia inimicorum perfidiam interjunxit temperamentò, Christus sex millibus verberibus est laceratus, illusus arundine, consputus, septuaginta spinis caput confixum, purpurâ illosus, coactus humeris ferre crucem: quarum immunitatum nè unum quidem vel Sacerdotum livor somni avit, vel Pharisæorum dolus contexit, vel vulgi ferocia expetiit; sed quas omnes confecit temperamentum. Nunquam audietis ex ore Tartareo hæreticorum alias propositiones, quàm mediæ conditionis. Admittunt illi Scripturas; sed dimidiatas; venerantur Sacramenta; sed numerò inmuta: Doctores sacros honorant; sed primorum sæculorum; laudant Concilia; sed ex parte, quâ ipsi non percelluntur: volunt subijci Censoribus Ecclesiæ; sed si illorum errores approbant. Denique unus illorum est sermo: *nec mihi, nec tibi.* 3. Reg. 3. 26. *fit; sed arvidatur.* Reformare se volentes deformant; antiquam Religionem dum sumunt, novam prorsus effingunt. Id. ib.

Quid dicam de Ebionitis, qui legis ceremonias Christi Evangelio miscuerunt? sed, dum volunt Judæi esse, & Christiani; nec Judæi sunt, nec Christiani. S. Hieron. ep. 89. Videt plura hic apud Olivam.



## TITULUS II. TEMPERANTIA.

§. I.

### Sanitalis mater, noverca.

**A**uferet Phara'o caput tuum. Gen. 40. 19. Pharaonis seravorum unus vidit per somnium vitem unicam, in qua erant tres paginæ: alter in uno canistro cibos omnes. De hoc Joseph: *aufferet &c.* Vide differentiam: alter eas solum decerpit uvas, quas vitis unica pauper ministrabat; alius varios cibos. Prudenter ergo Joseph mortem conjecturat ex artificiosis condituris. Naxera in Jos. 13. §. 8. Simplex erat ex simplici causa salutis, in cibis temperantia: quod ipse David innuere videtur, addens: *pane celo saturavit eos.* v. 40. *Colligat unusquisque, quantum sufficiat ad vescendum, gomor per singula capita.* Ex. 16. 16. Ubi in mensura cibus, constans quoque, & firma, sanitas. Naxera in Jos. 5. §. 11. *Lautitia non sunt vitæ fomenta, sed morborum, & mortis auxilia.*

*Noli avidus esse in omni epulatione; & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas &c.* Eccl. 37. 32. 33.

*Qui abstinens est, adjiciet vitam.* Eccl. 37. 34. Tritum illud: pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas.

Scio, mihi abstinentiam, & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam. S. Hieron. in ep. ad Tit. c. 1.

Ut tenuis mensa bonæ valetudinis, ita & voluptatis, mater est: & crapula, ut morborum, ita fastidii & fons est, & radix. Ubi enim satietas, ibi aviditas esse nullò pacto potest. S. Chrysof. hom. 21. in Joan. 2.

Aureum est dogma Hippocratis: sanitatem hæc duo tuentur: cibus non satiare; & impigrum esse ad labores. Cornelius in Ezech. 16. 49.

### Exempla.

Beatitudo Paradisi absque abstinentia cibi non potuit dedicari. Quamdiu jejunavit Adam, in paradiso fuit; comedit, & ejectus est: ejectus statim duxit uxorem. S. Hieron. l. 2. Adv. Jovin.

Paulus primus eremita vitam produxit ad annos prope centum quindecim; ex quibus centum circiter egit in solitudine. Quadragesima primis pareris dactilis, & hausta aquæ, ulus; reliquos, ut S. Hieron. testatur, pane dimidiò, quem corvus ministrabat. S. Antonius annis centum quinque, ex quibus nonaginta in eremo, solò pane (quibus in extrema senectute aliquid oleris addebat) teste S. Athanasio.

S. Paphnutius excessit nonaginta in eremo, solò pane, & aquâ. Cassianus Collat. 3. c. 1. Simon Stylites annis 80. quibus in columna stetit, Quadragesimas viginti octo sine ullò cibo, & potu, transegit. Theodoretus in Simeone.

Ludovicus Comarus Venetus, vir eruditus; qui insignem libellum scripsit de vitæ sobriæ

emolumentis; de seipso testatur: morbis variis, inquit, ad annum usque quadragesimum exercebar; & jam stomachò, jam febrì, jam pleuritide, & jam podagrâ, laborabam. Tandem Medicorum suâ, rationem vitæ temperantissimæ ingressus, unius anni spatìo à morbis omnibus liberatus. Annò octuagesimò tertio tam sanus, & alacer; ut gradus, & montes, facillimè scandere, è plano equum insilire posset. Drexelius Ros. sol. virt. p. 1. c. 11. §. 5.

§. II.

### Varia alia motiva.

#### Ex Veteri.

*Videbatur mihi quasi subcineri ejus panis ex hordeo volvi.* Judic. 7. 13. Quemadmodum muros Jerusalem, id est, animæ pacificæ, princeps coquoꝝ Babylonis destruxit, ventris voluptates obsoniorum condimentis irritans; sic Israelitarum panis hordearens volvitur, & Madianitarum tabernaculum subvertit. S. Nilus l. Ascet.

*Respexit; & ecce ad caput suum subcineri ejus panis, & vas aqua.* 3. Reg. 19. 6. Non legimus in Scriptura, Deus in servis suis opipara fecisse convivã; sed simplicia, & moderata. Quando Eliseus invitavit filios Prophetarum, non habebat alia fercula, quàm coctas in olla herbas. 4. Reg. 4. 39.

*Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum.* Dan. 1. 12. Tribus pueris cibus, olus, & legumina, fuit: alioquin nunquam vincerent flammam, si vellent amare delicias. S. Fulgentius l. sup. illud Matth. 14. 1. audivit Herodes Petrarcha.

*Tolle prandium, quod misit tibi Deus.* Dan. 14. 36. Et dixit: *recordatus es mei Deus; & non dereliquisti diligentes te.* v. 37. Pro Deo sex dies inter feras jejunos constituerat; & cum se desertum queri doterat, ita exultavit pro prandio vili, & mesforibus destinato; ut nos latæremur pro Ambrosia à cælo missâ. Oli. va t. 2. Strom. §. tolle prandium.

Vicius Prophetam fuit sobrius. Amos cibus erant sycomorì, id est, ficus fatuæ, & insipida. c. 7. 14. Ezechielis 4. 12. panis hordeaceus subcinericius, & aqua. Joana B. locusta, & mel Sylvestre. Matth. 3. 4.

#### Ex Novo.

*Et acetum offerentes ei.* Luc. 23. 36. Consideremus quotidie hanc novissimam Christi mensam, quâ propter nos cibus est felle, & potus acetò: sicque discamus, cibi, & potus, superfluitatem, ac voluptatem, vitare; per abstinentiam carnem libenter, ac rationabiliter, castigare; & de virtualium tenuitate non murmurare: quod adimplere ad Religiosos pertinet potissimum. Dion. Carthuf. hic.

Capiem

*Capietes singula metretas binas, vel ternas.* Joan. 2. 6. Cur prodit, quantum liquoris amphoræ capiant? ut gratiam ex aggeret, modum scribit. Suspecta enim est felicitas, si modum nescivit: illius gratiæ decor erat, intrâ modum contineri. Vinum largitur Dominus, ut necessitati consulat; sed modus adhibetur, nè helleationem, & crapulam nimiam ubertate provocet. Naxera in Jos. l. § 40.

*Accept ergo Jesus panes.* Joan. 6. 11. Hordeaceis panibus, non tam pascitur, quam eruditur, strata in monte mortalitas. Ibi homines, dum esca vili jumentis æquantur, jumenta esse dedocentur. Nam si pecori convivas, non vives pecus. Tum enim jumentis insipientibus non comparatur, si austeritate victus jumentis assimilatur. Vel prodigus, ut suum esse cepit conviva, Epicuri de grege pecus esse desit; in Angelum glande reformatus. Oliva D. 4. Quadr.

*Cum esuriret, voluit gustare.* Act. 10. 10. Nota magnam sobrietatem Petri: non ventrem voluit implere, non saturari; sed gustare: quantum sat erat ad reficiendum corpus & vires. Sylveira hic.

*Seve manducatis, sive bibitis - omnia in gloriam Dei facite.* I. Cor. 10. 31. Cum jubet Apostolus omnia in gloriam Dei facere; singulariter, & expresse, cibi, & potus, mentionem facit: quia ex his rebus plurimæ solent offensiones nasci; nisi parce, & moderatè, fiant. Diez conc. 1. in Asc. Dom.

#### Ex Patribus.

Ipsa sicca anima, est sapientissima, & optima. Clemens Alex. l. 2. pædag. c. 2.

Est donum Dei maximum temperantia. Idem l. 2. Strom.

Quotidianò experimentò probatur, potus satietate aciem mentis obtundi, S. Leo l. 8. de jejunio.

Quid pulchrius abstinentiâ? quæ facit etiam juventutis annos senescere, ut fiat morum senectus. Namque ut redundantia ciborum, ac temulentia, etiam maturior ætas calefcit; ita mitigatur juventutis ferocitas epularum parsimonia; irriguoque fontis; & exterior ignis aquæ infusione extinguitur: non mirum; si etiam interiora æstus corporis fluvialî potu refrigerantur. S. Ambros. ep. 82. post initium.

Respice corporis tui formam, & speciem congruentem celi vigoris assume. Si sola animalia prona pascuntur; cur tu in edendo sternis ipse, quem natura non stravit? - Cur noctes, & dies, cibo intentus pecorum more terrena depasceris? cur intellectum tibi adimis, quem tibi Creator attribuit? cur te jumentis comparas, à quibus te voluit Deus segregari? S. Ambros. hexam. l. 6. c. 3.

Tempus belli, tempus certaminis est; tu autem sedes in deliciis? Non vides, etiam reges, qui sceptrâ ferunt, in externis militiis frugaliter vivere? - Christus præ fame tabescit; tu autem præ gula te ipsum disrumpis. Nunquid Sacrificandi sumus, quòd impinguamus nos ipsos? Quid suppeditas vermibus tam splendidam mensam? S. Chrysostr. hom. 27. in Act.

*Psalm. Sacra. Tom. II.*

Quid, responde quæso, ita pingue corpus efficeret studes? an ut te ad immolandum ducamus? an ut mensæ immolatum apponamus? - Nihil certè corpori nostro ita repugnat, & obest; ut satietas. S. Chrysostr. hom. 45. in Matth. 13.

Quot canum, curam habent, nè plus, quam expedit impleantur? ut veloces sint, & venatici; dum fame premuntur, & esurie: se verò non curant, nè crapulentur: & bruta quidem temperanter agere docent; ipsi verò ad brutorum feritatem deducuntur. S. Chrysostr. hom. 42. ad pop.

Quemadmodum navis, quæ majorem, quam pro modo suo, mercium vim receperit; oneris magnitudine depressa, submergitur: ita & animus, & corporis nostri natura; si plus alimentum, quam pro virtute, sua, acceperit, obruitur; & pondus mercium non ferens, in profundum interfectionis demergitur; navitasque, & gubernatorem, & proretam, & navigantes, & ipsum denique onus, cum omnibus perdit. S. Chrysostr. orat. de ebriet. & ingluvie.

Quid, quæso, vegetum, validumque, studes reddere, quod paulò post est interiturum? Quid te ipsum saginas, & carnibus gravas? An ignoras; quanto pinguis tuum tibi corpus, tantò graviorem animæ tuæ carcerem constituit? S. Basiliius in Pl. 29.

Mens in Deo, non in patinis, dum editur, existat. Basiliius l. quoddam corpus instrumentum animæ.

Rectè vivendi principium est temperantia. S. Nilus or. 1. de gula.

Exsiccatum lutum jam non porcis usui esse, ut tibi se volent, potest: ita & caro, per abstinentiam marcida effecta, demonibus ultra non præbebit in se quiescendi locum. Joan. Climacus gr. 26.

Ad id, quod tibi appositum fuerit, sic manum extendito; tanquam edere coactus sis. B. Isaias Abb. or. 3.

Qui in diversitate, & abundantia, vini sobrius est; ille est terrenus Deus. S. Bernardus ep. de gubernat. familiæ ad Raymundum militem.

Insanus labor, omittit curam cordis, & curam carnis agere in desiderio: impinguare, & fovere, cadaver putridum; quod, paulò post vermium esca furrum, nullatenus dubitatur. S. Bernardus l. ad Clericos de cont. Mundi c. 13.

Natura, quæ homini dedit os, parvulum dedit; illud brutis longum, & latum. Natura etiam, quæ tibi duos oculos dedit, duas etiam aures impendit; unum tantum tibi os exhibuit; in quo tibi edendi mensuram ostendit. S. Bonaventura l. 45.

#### §. III.

#### Post cibum oratio.

*Fecit ei canam magnam.* Judith. 6. 19. *postea verò per totam noctem intrâ Ecclesiam oraverunt.* v. 21. Ita tibi semper comedendum est; ut cibum & oratio sequatur, & lectio. S. Hieron. ep. 19. ad Eustoch. De hoc etiam Latam moner de filiola ep. 7. sic comedat, ut semper esuriat; ut statim post cibum possit legere, & psallere. Sit nobis cena tenuis, & expedita, apta ad vigiliâs; & quæ à pædagogi disciplina

C c c c

ciplina

con-  
nem,  
ròd,  
dum  
mo-  
i.  
non  
gu-  
are,  
Dei:  
cum  
2. f.  
ostis,  
quòd  
atio-  
sc. de

tunt.  
es ab  
cir-  
ben-  
uan-  
lesia:  
illis.  
gelo-  
ignæ  
ctus.

Me-  
o, ad-  
ten-  
tium  
4. in  
ator;  
3. de  
nium  
& vi-  
bluit.  
o no-  
igna-  
ngi;  
iam,  
etur.

omi-  
cun-  
culis  
lum.  
stan-  
præ-

quod  
outas  
, qui  
nem-  
o, ex  
m vo-  
essia,  
I. 19.  
aster.  
Qui

ciplina minimè fit aliena. Clemens Alex. 2. padag. c. 5.

*Cum ergo prandisset.* Joan. 21. 15. Cajetanus: JESUS magna mysteria exercuit immediate post sumptum cibum: nam & Sacramentum Eucharistiae instituit post cœnam: & in die Resurrectionis, postquam comedit coram Discipulis, aperuit illis sensum, & dedit Spiritum Sanctum. Joan. 20. 22. Et nunc post prandium committit Petro Pontificatum: ut discas ab exemplo, tam cœnam, quàm prandium sic sumere; ut nullum præstetur impedimentum excitius spiritualibus; ut non minus idonei simus ad exercitia spiritualia. Sylveira hic.

*Diligis me plus his.* Joannis 25. 15. Sumptò cibo, de amore oritur questio; ut etiam refectione suscepta, sermo sit de virtute: nè homo inte-

rior privetur cibo, ei exterior abitus est. Sicut Cass. l. 14. hic.

#### Exempla temperantiae.

Hoc me docuisti: ut, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. S. August. l. 10. Conf. c. 31.

Sic accedebat ad cibum, quasi ad tormentum. Vita S. Bernardi l. c. 4.

Gustum, per continuum mortificationem, perdidit; liquores alios pro aliis, oleum pro aqua sumpsit. ibidem l. 3. c. 1.

Menfa ipsi est omnis terra, & montes: cœna autem, ac prandium, herbæ sylvestres, atque agrestes: præcipuus ipsorum potus est aqua ex rivis: vinum autem similiter ex cavernis ac foraminibus petrarum. S. Ephrem l. in SS. Patres suo tempore defunctos.

## TITULUS III. TEMPLA.

### §. I.

#### Figurae, & Similitudines.

**Q**uam terribilis est locus iste! Gen. 28. 17. O quam amabilis est locus iste! (templum scilicet) terribilis propter potentiam Judicis; amabilis propter charitatem Redemptoris præsentis. Doultreman lib. 1. c. 4. Sect. 12.

*Facies propitiatorium de auro mundissimo.* Ex. 25. 17. Nunquam legimus, in hoc Mundo Deum instituisse domum justitiæ, quâ nos puniret, vel saltem judicaret: Sed, cum sit Pater, imò Mater, clementiæ; domum justitiæ, quâ peccatis nostris propitiaretur, instituit; non unicam, sed propè infinitas: quot enim Ecclesiæ, tot sunt domus propitiationis. Oleaster apud Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 9. Sect. 1. Obs. 3.

*Introduxit me in cellam vinariam.* Cant. 2. 4. Per hanc cellam seu domum, vinariam, ut est in Hebræo, accipit. Origines hom. 3. & 4. domum Sapientiæ, pota templa; in quâ inducitur populus fidelis, ut ibi à Doctoribus, & Prædicatoribus, hauriat vinum veræ sapientiæ, id est, cognitionis, timoris, & amoris, Dei. Cornelius hic.

*Edificavit turrin in medio ejus.* Il. 5. 2. id est, templum in medio regie civitatis ejus. Et torcular extruxit in ea, id est, altare &c. S. Rupertus hic. c. 16.

Ecclesia sanè, quidam locus est medicinæ spiritualis: & eos, qui huc veniunt, decet, nè domum redeant; nisi congrua media acceperint, illaque suis vulneribus adhibuerint. S. Chrysoft. hom. 1. in Gen.

Domus Dei est cœlo similis; & quemadmodum ex adversariis potestatis nullum fas est illuc ascendere; ita nec in domum Dei &c. S. Chrysoft. in Pf. 133.

Ad Ecclesiam, quasi ad fontem vivum, & ad spirituale fluvium, convenire debemus: ut accipiamus aquam illam vivam, de qua Dominus dixit: *si quis sitit, veniat &c.* Joan. 7. 37. S. Cæsarius Arel. hom. 34.

Rogo, ut qui ad Ecclesiæ alvearium, quasi ad dulcissimi Christi favum, plenâ devotione concurrunt; velut apes prudentissimæ, de diversis Scripturarum divinarum floribus, intrare cellulas præparent; ubi sancta, & cœlestia, mella suscipiant. Idem hom. 37.

### §. II.

#### Temporum laudes, & nomina.

*Ingrederet tu, & omnis domus tua, in Arcam.* Gen. 7. 1. Non aberrabit quis, si profiteatur, Ecclesiam arcâ illâ esse præstantiorem. Etenim arca & excipiebat animalia & conservabat: Ecclesia verò animalia semel suscepta immutat. Ingressusne est illò milvus? idem est egressus milvus. Illò introivit lupus? exiit etiam lupus. Huene ingressus est, milvus? egreditur columba: introit lupus? exiit ovis; non quidem immutata natura, sed explosâ malitiâ. S. Chrysoft. Proœmiò priore in Enarrat. II.

*Verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Gen. 28. v. 16. stantes erant pedes nostri in atris tuis Jerusalem. S. Hieron. & alii, in portis. Portæ antiquis pro arcibus erant, & principe oppidi munimento; imò pro armamentario. Adversus invisibiles hostes templa arces sunt, & armamentaria. Doultreman l. 1. c. 4. Sect. 12.

*Erexit in titulum.* Gen. 28. 18. Titulus hic non tantum monumentum, sed etiam altare, significat. Atque hinc primi Christiani, ad exemplum Jacobi, Ecclesias suas vocarunt *Titulos*, à titulo, id est, signò Crucis; & à titulo, id est, nomine alicujus Sancti; in cujus honorem intitulabantur, id est, consecrabantur, & distinguebantur Ecclesiæ: ut titulus S. Praxedis, S. Laurentii &c. Cornelius hic.

*Ascendit ad portam, & sedit ibi.* Ruth. 4. 1. Booz sententiam Judicis quaesiturus: in portis enim exercebantur judicia. Et de muliere forti dicit Sapiens Prov. 31. 23. *nobilis in portis vir ejus quando sederit cum Senatoribus terræ.* In templo, non de capite, aut fortunæ bonis, sed de æterna animæ salute, cum Deo

Deo supremo Iudice aguntur causæ; & per Sacerdotes, Ministros ejus fertur sententia. In portis fiebant panegyres, & ad concionem totius urbis, laudes præclarorum hominum prædicabantur. Prov. 31. 31. *date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus.* Et Pl. 28. 9. *in templo ejus omnes dicent gloriam.* Doultreman antè citatus.

*Et elevata sunt Cherubim; ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar.* Ezech. 10. 15. In secunda visione videt pro bove Cherubim, Pagninus, Fernandus, ajunt, vitulum mutasse faciem suam in Cherubim. Sed unde hæc mutatio? primò facta est apparitio juxta fluvium; secunda prope templum: & animal, quod ad Mundi aquas erat bos, ubi accessit ad Dei templum, feritate deposita, mutatur in Sanctum Cherubim. Sylveira c. 19. in Joan. 10. 9. 2.

Neque enim tonstrina, aut unguentaria taberna Ecclesia est, aut officina forensis: sed locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia cæli, cælum ipsum. S. Chrysol. hom. 36. in 1. Cor. Conventis ad audiendum Deum, - in hac Schola Christi, & Auditorio spirituali. S. Bernardus in Nativ. S. Joan. B.

Vocatur etiam Basilica, Regia, seu Regalis: quia in ea Regi regum servitur. Durandus Ration. div. offic. l. 1. c. 1.

## §. III.

*Templa amandi, frequentandi, motiva.*

*Ex Veteri.*

*Tremor, & horror, invasi sensu eorum; nè hoc faceret Jerusalem, & templo Domini.* Judith 4. 2. Palæstina, immemor sui, uni timet Jerosolymæ, & templo Domini: nunc verò quisque sibi. Oliva l. 1. Strom. §. Tremor &c.

*Delicia mea, esse cum filiis hominum.* Prov. 8. 31. q. d. in aliis ludo; sed cum hominibus delitior; præsertim in templo. Unde Deus templum, vocat suam voluptatem. Pl. 26. 4. *ut videam voluptatem Domini.* Cornelius hic.

*Ostende Domui Israel templum; & confundantur ab iniquitatibus suis.* Ezech. 43. 10. Expende, quibus Deus utatur mediis ad poenitentiam persuadendam. Putassem, Prophetæ dictum, ut clamet supplicia gravia: quasi sit ea virtus templis indita contra peccata; ut, si tantum videantur, valeant illa penitus expugnare. S. Chrysol. hom. contra Anomæos: quotidie ad hanc congregationem confluvamus: nam, si concupiscentiâ flagras; poteris eam facile restinguere, tantum visâ hac Domò. Et, si irascaris; facile bestiam domabis, iram inquam. Et, si aliquâ aliâ affectione impereris; tempesstatem eam facile sedabis; reddesque pacem, & serenitatem animæ tuæ. Bæza t. 2. l. 6. c. 1. §. 6.

*Verunt amen rursus videbo templum Sanctum tuum.* Jon. 2. 5. Ecce anchora! intellexit, Deo docente, futurum per divinam misericordiam, ut rediret Jerosolymam, & post Niniviticam peregrinationem, in templum Sion rediret. An cogitari potest amantior, aut solidior, existimatio, & veneratio, erga sacra altaria; quam ista Jonæ in tot malis, ac incommodis? Oliva t. 2. conc. 5.

*Polyanth. Sacra. Tom. II.*

*Ex Novo, Patribus, & aliis.**Et introivit Jerosolymam in templum.*

Marci 11. 11. Formam nobis religionis, quam sequamur, præmonstrat: ut, cum fortè villam, aut oppidum, aut alium quemlibet locum, in quo sit Domus orationis, Deo consecrata, intramus; primò ad hanc divertamus: & postquam nos Domino per orationum studia commendaverimus, sic deinde ad agenda ea, propter quæ venimus, temporalia negotia secedamus. V. Bæda hic.

*Invenerunt illum in templo.* Luc. 2. 46. Non in teatro, foro, ludorumve loco; ut pueri solent inveniri: ad innuendum, quòd Filium Dei querere, & invenire, optantes, templum, oratorium, &c. ingredi debent; non Spectaculorum, aut tumultuum loca. Imò sicut qui libenter est in Ecclesia propter divina, filius Dei creditur adoptivus; tanquam libenter consistens in domo Patris cœlestis: sic qui in tabernis, & locis vanitatum, libenter est, diaboli filius reputatur. Dion. Carthus. hic.

*Venerat adorare in Jerusalem.* Act. 8. 27.

Quællor primarius reginæ Candacis ab Æthiopia peregrinatus est Jerosolymam; solò desiderio impulsus, DEUM adorandi in templo. Et venit eò per solitudinis æstus, juga montium, pericula fluminum, latronum; ecclesiæ mutationes, hospitiorum incommoda, itinere tædia: aulam relinquens, in qua, ob eximiam potestatem objectus erat malignitati æmulo- rum, sique poterant in absentem calumniam cadere, & apud reginam facile accusare. Quale autem erat templum? cujus gratiâ Jonas in utero ceti exultabat. Joan. 2. 5. Daniel 6. 10. in speluncam leonum descendebat? Satrapa Candacis, aulâ relicta, in periculum se, suaque, conjiceret? Templum in quo aromata prunis ardebant, & pecorum carnificinæ. Quid illi pro Christianis templis non fecissent? ubi Salvator præsens; ubi æterno Patri æternus Filius immolatur; ubi Spiritus S. in poenitentes gratias effundit uberimas; ubi peccata remittuntur; ubi populis explicatur Evangelium; ubi Corpus Christi dispensatur Fidelibus; ubi ossa Martyrum pavimento conferunt sanctitatem; ubi cineres Confessorum scintillant ab altaribus. Oliva t. 2. conc. 5.

Omnia amamus, omnia colimus; solus nobis in comparatione omnium Deus vilis est. Denique, præter alia, quæ id probant, indicat etiam hoc res ipsa, quam dico. Si quando enim usu venerit, quod scilicet sæpe evenit; ut eodem die, & festivitas Eucharistica, & ludi publici agantur; quæro ab omnium conscientia: quis locus majores Christianorum virorum copias habeat? caveâne ludi publici? an atrium Dei? & templum omnes magis sectentur, an theatrum? verba vitæ, an verba mortis? verba Christi, an verba Mimi? Non est dubium, quin illud magis amemus, quod anteponimus. Salvianus de provid. Dei lib. 6.

Quidam nunquam veniunt ad Ecclesiam (loquitur de Clericis) nisi quando sunt distributiones: Sicut bubo non venit ad Ecclesiam, nisi propter oleum, S. Bonaventura in Thren. 2.

Ccc cc 2

§. IV.

ia con-  
rnem,  
quòd,  
andùm  
mmo-  
à. 1.  
si non  
gi gu-  
psa re,  
n Dei:  
e cum  
72. 5.  
hostis,  
quòd  
natio-  
usc. de

2.  
t.  
sunt.  
ies ab  
ps, cir-  
naben-  
quan-  
clesia:  
illis.  
ngelo-  
vgnæ  
nctus.

. Me-  
co, ad-  
& ten-  
ut in  
l. 4. in  
rator;  
63. de  
mum  
& vi-  
oluit.  
ro no-  
signa-  
tingi;  
tiam,  
retur.

homi-  
ncun-  
oculis  
lum.  
stan-  
præ-

quod  
butas  
n, qui  
nem-  
n, ex  
m vo-  
essia,  
I. 19.  
easter.  
Qui

## §. IV.

## Templa aedificandi motiva.

*O* Peruit nubes tabernaculum testimonii, & gloria Domini implevit illud. Ex. 40. 32. Tabernaculo jam exstructo, & pie consecrato, ad volat magnus Deus: non se continet; occurrit cum gaudio; ut sua fruatur domo. Similiter 3. Reg. 8. 11. *Impleverat gloria Domini.* Velloso in Judith 1. Paræn. 3.

Rex Salomon prius aedificavit Domum Dei, tum sibi. 3. Reg. 6. 1. & c. 7. 1.

*Inventum est in Ecbatanis volumen unum.* 1. Esdræ 6. 2. Quid in illo? *Cyrus rex decrevit, ut domus DEI aedificaretur.* v. 3. Suam Cyrus curam de templo aedificando mandatam voluit annalibus Persicis: Unde tantum sibi nomen peperit. *45. 1. haec dicit Dominus Christo meo Cyro.* Velloso ibid.

*Sicut juravit Domino.* Pl. 131. 2. David, cum de se apud DEUM agere vellet: *memento Domine David.* v. 1. uno post versu suum de templo condendo votum explicat: *sicut juravit* Cur à sui cura mentem ad templum vertit? S. Basilus hic: *cujus gratia hoc fecit?* quod hac re potissimum delectetur Deus. Velloso ibidem.

*Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes.* Eccl. 44. 6. Dion. Carthul. id est, diligenter intenti circa ornatum cultus divini, & templi decorem.

*Nunquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis; & Domus ista deserta?* Aggæi 1. 4. Docet hic Deus, Fidelibus primam debere esse curam templi, & sacrorum: ac, cum urbs nova erigitur, primo erigendum esse templum, & cultum Dei stabilendum, Cornelius hic.

*Et alius Angelus egrediebatur.* Zach. 2. 3. Videt Angelum habitu Architecti, in manu ejus funiculus mensuræ. Rogatus, quò abeat? respondet: *ut metiar Jerusalem;* scilicet ad urbem murò, & templò, ornandam. Rupertus l. 7. de Viâ. Verbi c. 19. in aedificatione terrene civitatis, & templi, jam & opifices volunt videri, seque certatim ingerunt, Angeli. Velloso citatus.

## §. V.

## Templa splendida, &amp; sumptuosa.

*Plueruntque Salomoni &c.* 3. Reg. 5. 15. Onera portantium, & latomorum, in fabrica templi, erant universim viginti quinquaginta millia. Cornelius hic.

*Magna erit gloria Domus istius novissime plus, quam prima.* Aggæi 2. 10. In quo est major hæc templi secundi gloria? Non in divitiis, nec templi majestate; non in ceremoniis, nec in Sacerdotum Sanctitate: nam omnia hæc multò illustriora fuerunt in templo primo. Ideo 1. Esdræ 3. 12. in instauratione secundi templi lacrymabantur, memores præstantiæ primi templi. Quæ ergo gloria secundi templi? subdit Aggæus v. 8. *venit desideratus cunctis gentibus; & implebo domum istam gloria dicit Dominus.* Stella in Luc. 2.

Scribit S. Hieronymus ad Paulinum: *Adria-*

num Imperatorè Bethlehem pro fanasse, erectò ibidem Adonidis simulachro: ut in specu, ubi quodam Christus parvulus vagit, Veneris amarius plangeretur. Scitit ibi Adonis per centum octuaginta annos, usque ad Constantinum Imp. quando S. Helena ejus mater, everfò Adonide, magnificam Ecclesiam super ipsam specum extruxit: & super ipsum præsepe, in quo Agnus Dei reclinatus est, erexit altare; in quo idem jugiter Deo offerretur, qui ibidem primò pro salute hominum illuxerat. Sed & Constantinus eandem specum regalibus ornamentis, ex auro, argento, variisque aulais, exornavit: ita ut hæc Basilica Mundi esset miraculum; nec in orbe quidquam ei esset simile. Nam excelsa est admodum, & amplissima. Quilibet ordo habebat quinquaginta columnas, singulari artificio, pretiosissimis sunt incrustati: quocirca ipsi etiam Turca, & Saraceni reverenter hoc templum frequentant. Cornelius in Michæ. 5. 2. ex Adrichomio &c.

Aedificium Vaticanæ Ecclesiæ vocant ab aedificio Angelicum opus; ab amplitudine, gigantum: cui nec comparari queunt decantata septem orbis miracula. Globus supremi apicis capit plus triginta quinque personis. Summum altare, quod in medio templi erectum, à Leone Magno vocatum fuit lectus Sanctæ quietis: èò quòd in illo condita essent corpora SS. Petri, & Pauli. Habet unum Cardinalem, Archipresbyterum, trecentos Canonicos, triginta beneficiatos, præter aliquot Sacellanos, & Diaconos. Aringi de Roma novâ,

## §. VI.

## Templa ornantur pietate, profanantur peccatis.

## Ex Veteri.

*SI* aversione averfi fueritis vos auferam Israel & templum. 3. Reg. 9. 6. 7. Si interior animorum cultus deficiat; quidquid magnum, quidquid sublime, exterioris cultus est, Deus abjicit. Babyloniorum rex templum Jerosolymæ incendit. 4. Reg. 25. 9. tres autem pueri in igne innocui Dan. 3. 24. Cur tam inæqualiter Deus tractat, & templum, & pueros? Rupertus l. 6. de Viâ. Verbi c. 25. non poterat hic Deus excelsus templum suum, quod erat Jerosolymis, illæsum custodire à flammis incendiî Babylonii, qui tres pueros taliter custodivit in camino ignis? Poterat: sed erudiendus erat Mundus, ut sciret; quòd Deus excelsus, non pulchris lapidibus, aureis, vel parietibus templi manufacti delectetur; sed fidei claritate, & mundi cordibus: & ille est ei optabilis locus. Bæza t. 2. l. 12. c. 4.

Dirutum à Chaldæo templum 4. Reg. 25. 9.; urbem, & ædem Sacram, incenderunt Romani. Id. Pelus. l. 1. ep. 73. ut, dum suis non parciat aulis, terrorem iis, qui peccant, injiciat.

*Domine, dilexi decorem Domus tuae.* Pl. 25. 8. Decorem Domus dicit, non pulchritudinem parietum, aut ministeriorum pretiosissimos apparatus; sed ipsorum actuum beatissimam qualitatem, quibus cuncta gaudet Ecclesia: id est, in psalmodum jubilatione, in precum sanctitate, in Chri-

Christiani populi humillimâ devotione. Cassiodorus hic.

*Nec perpercit, omnia speciosa Jacob &c.* Thren. 2.2. quæ habebant in ornamentis famosissimi templi, & cultu ceremoniarum, quò se gloriosiores cæteris gentibus credebant: quæ nimirum Dominus præcipitavit, & destruxit in furore suo. Ut intelligeres, Dominum non ea, sed ipsos requisivisse, sibi in cultum, & gloriam, nominis sui. S. Paschasius hic.

#### Ex Novo.

*Relinquetur vobis Domus vestra deserta.* Matth. 23.38. Post minas graves Discipuli Magistrum deducunt Matth. 24.1. ostenderent adificationes templi. Cajetanus: monstrare voluit templi adificationes, provocaturi ad misericordiam. Placent Deo sacræ ades interim, dum fovent pios sensus animi. Quòd si Domus Deo erigatur magnifica, non tamen piè colatur; verè ab hoste, & igne perire, sinit Deus. Velloso in Judith 1. Paræn. 3. Cur ostenderunt Discipuli adificium templi? quòd noverant frequenter à Christo visum? Ut fleterent eum ad misericordiam: nè scilicet templum relinqueretur; proit paulò antè asseruit Et quia Discipuli rudes erant; carnalem, & rudem, causam miserendi teigerunt; ostendendo pretiositatem templi: quasi, propter corporalia illa templi ornamenta, præservandum esset à destructione; & quasi talia Deus ponderaret. Dion. Carthusianus hic.

*Non relinquetur lapis.* Luc. 21.6. Si omnia mundi templa, utensilia Deo dicata, deperirent, sanctitas, qua salvari homo potest, non deperit. Sim. Cass. 1.9. c.53.

#### §. VII.

*Templi reverentia commendatur, & devotio in ea.*

#### Ex Veteri.

**Q**uam terribilis est locus iste! non est hic aliud, nisi Domus Dei, & porta cæli. Gen. 28.17.

*Lavabant manus suas, ac pedes; quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii.* Ex. 30.19.20. Vide, quanta reverentia templis, locisque Deo dicatis, debeat. Quin & Pythagoræ fuit dogma: nudis pedibus sacrificia. Nunc quoque Mauri, & Saraceni, templa, in quibus sacra facturi sunt, non ingrediuntur, nisi calcæis depositis: Cornelius in Ex. 3.5. Solvere jubetur Moyses de pedibus calcæamenta, antequam ad montem Dei Horeb, & rubum incombustum, appropinquaret. Ex. 3.5.

*Ut confugiat ad eas.* Num. 35.15. Causa asylorum, fuit reverentia templorum, & locorum sacrorum, & ipsius Dei: dum enim Domus Dei habentur Sacro-Sanctæ, & asyla; celebratur ejus gloria, & majestas; misericordia, & bonitas: dum miseros ad se confugientes in suam tutelam recipit. Cornelius hic.

Non audebant olim Dagonis Sacerdotes templi sui limen, in quod amputatas Dagonis manus reperissent, conculcare, 1. Reg. 5.5. Eva-

ginatò gladiò tenuit Angelus Josue, nè in loco sancto, in quo stabat calcæatis pedibus, gradetur. Jos. 5.15.

*Custodi pedem tuum, ingrediens Domum Dei.* Eccl. 4.17. Symbolicè pedes S. Gregorius, August. Basilius, Orig. Hieron., & alii, accipiunt affectus animi: quia, sicut pedibus itur ad locum destinatum, sic affectibus itur ad opus externum. Affectus ergo sunt, quasi pedes animæ, quibus ipsa se promovet ad opus. Sensus ergo est: ingressurus templum custodi pedes, id est, affectus animæ; nè quid animò volvas, aut concupiscas, Deò indignum. Cornelius hic.

#### Ex Novo, Patribus & aliis.

*Venit in spiritu in templum.* Luc. 2.27. Non venit Simeon in spiritu superbiæ, sicut ambitiosi; qui ambiunt primos acubitus: non in spiritu garrulitatis, non vanitatis, non curiositatis, &c. Stella hic.

*Ascenderunt in templum, ut orarent.* Luc. 18.10. Ad hoc debet quilibet ascendere in Ecclesiam, id est, ad orandum: non ad videndum mulieres; vel prava, & vana, colloquia faciendum: quod tamen multi faciunt. Hugo Card. hic.

*Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est.* Philipp. 4.5. Quia nusquam magis, quam in præsentia Domini, in templis, modestia cavenda. Mendoza in 1. Reg. 6.13.

Ecclesiam, non secus ac cælum, frequenta: nihilque in ipsa, seu loquere, seu cogita, seu terrenum. S. Nilus Cap. Paræn.

Balæna Britannica, insule instar extensa, & ad formam terræ firmæ, uligine, imò gramine, in dorso jobbata; exscendente S. Maclovio è navi, & sacrificante, cœpit loco moveri. Quò animadvertò Maclovius belluæ imperavit, ut staret; donec sacra peragerentur, ac sicci vectores in navim rediissent. Scretit, & jussa fecit: ad verecundiam grandium hominum; qui vel in templis sæpe quieti stare nequeunt, donec res divina ad finem perducatur. Stengelius Judic. div. t.2. c.14.

Abyssinorum (qui fidem Christianam profiterentur, sed superstitionib? Judaicis habent inquinatâ) nemini licet, nisi nudis pedibus, templum ingredi: in quo qui riserint, sermocinati fuerint, aut deambularint; profani habentur, & scelerati. Pectus Janicus thes. rer. Indic. tom.2. c.14.

#### §. VIII.

*Commendatur in templo silentium; arguitur garrulitas, &c.*

*Raticulamque in modum retis anciam* &c. Ex. 27.4. Circa altare hoc erat maximâ multitudo Sacerdotum, & Levitarum; præsertim in festis, cum multa immolandæ essent victimæ: alii enim eas mactabant, alii excoriabant, alii secabant, lavabant, &c. mirò omnes silentiò & reverentiâ. Aristæas l. de Septuaginta Interpretibus: silentium tantum inest; ut, cum septingenti ferè ministrorum continuò adsint, & offerentium libamina sit multitudo ingens; nec unum quidem hominum in loco versari putes summâ namque veneratione, & magnâ pietate, cuncta perficiuntur. Cornelius hic.

ia con-  
nem,  
quòd,  
ndum  
mmo-  
à. i.  
si non  
gi gu-  
sare,  
n Dei:  
e cum  
72. 5.  
nostis,  
quòd  
tatio-  
usc. de

8.  
sunt.  
ies ab  
is, cir-  
aben-  
quan-  
clesia:  
illis.  
ngelo-  
ugnæ  
nctus.

. Me-  
o, ad-  
& ten-  
ut in  
4. in  
ator;  
63. de  
mum  
& vi-  
oluit.  
o no-  
digna-  
tingi;  
tiam,  
retur.

homi-  
ncun-  
pculis  
uum.  
stan-  
præ-

quod  
butas  
1, qui  
nem-  
n, ex  
m vo-  
essia,  
I. 19.  
aster.  
Qui

*In templo ejus omnes dicent gloriam.* Pl. 28. 9. Audiant hæc psalmi verba ii, qui longos, alienosque, in templo edunt sermones, Qui in templo Dei est, non vana, scurrilia, probrosa, loquatur verba; sed *omnes dicent gloriam.* Adstant, verba describentes Angeli; adest & Dominus, affectus intrantium considerans: preces cuiuslibet Deo manifestæ sunt. S. Basilius hic.

Nihil Ecclesiæ tam congruum, quam silentium, & tranquillitas. S. Chrysof. hom. 38. ad pop.

Olim templi foribus inscriptum erat, *silentium.* teste S. Chrysof. hom. 1. in 1. ad Timotheum.

## §. IX.

## Contra irreverentiam in templo.

**F**ili hominis; putasne vides tu, quid isti faciunt, abominationes magnas, quas Domus Israel facit hic? &c. Ezech. 8. 6. Ergo & ego faciam in furore meo: non parceret oculus meus; non miserebor. v. 18.

*Ipsæ autem Ariel quatuor cubitorum.* Ezech. 43. 15. Ariel, id est, leo. Praferbat altare formam leonis: ut ad id sacrificaturi accedentes recordarentur, Deum similem esse leoni, qui irreverentes discerpat. Cornelius hic.

*Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Matth. 21. 13. Ecce tibi amplissima domus, multo ædificata studio, summâ arte exornata; ab impietate, & vitis, habitantium eam faciem sumit; ut Deo rudis, & inculta, spelunca appareat. Bæza t. 2. l. 12. c. 4.

*Et accesserunt ad eum cæci in templo.* ib. 14. Aptè à Domino, post contemptores templi ejectos, mox cæci sanantur. Cœcitate enim laborant, qui in templo se irreverenter gerunt. Jacob Gen. 28. 16. exclamat: *verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Jacui, somno indulgebam; dum deberem procidens adorare, & cœlestia meditari. *Et ego nesciebam;* mentis certè cœcitate laborabam. Elcobar t. 1. Mir. Chr. 1. 2. Sect. 2. Obl. 1.

*Domus mea domus orationis vocabitur.* ib. Hi ementes, & vendentes, non debebant in ipso templo propriè, sed in atrio templi; imò in atrio omnibus gentibus communi: & tamen

inde à Christo ejecti sunt. Quid ergo faciet Christianis in templo ipso coram Venerabili indigniora patrantibus? Cornelius hic.

*Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem.* Matth. 24. 2. Tunc Discipuli quærun: *dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum adventus tui, & consummationis Seculi?* Nota: Christus Dominus loquitur de templi ruina: unde Apostolis venit in mentem totius orbis dissolutio? Judicant ergo, exciso templo, orbem ruiturum; nec stare posse, religione sacri loci profanata. Sylveira in Act. 4. 1.

*Cum fecisset quasi flagellum.* Joan. 2. 15. Non legitur in Evangelio Christum percussisse aliquem, nisi hic. Multa peccata fiebant in Jerusalem &c. Nota, quam displiceat Deo irreverentia in templis. S. Vincent. Ferr. D. 10. Trinit.

Nunc autem forò nihil differt Ecclesia. Si quis corrumpere matronam conatur, locum hunc maxime idoneum putat. Emere quidem, aut mercari, lubet; magis idonea Ecclesia est, quam forum. Sæpius enim de his rebus, quam in ipsis officinis, loquuntur. S. Chrysof. 36. in 1. Cor.

Tunc etiam domus Ecclesiæ erant; nunc verò Ecclesia domus; imò domo quilibet profana magis. Nam in domo quidem, ordo servari solet: hera thronum occupat, famulæ tacite texunt; hic verò magnus tumultus; nihilque à caupona differunt nostra. Tanta turba, tantus rufus, quantus in balneis. Dominò cœlitus de tam stupendis rebus nobiscum loquente, canibus impudentiores fumus; scortis reverentiæ plus, quam Deo exhibemus. Inhorrescitis? cum ista auditis? quin magis adeo facientes horrescitis. S. Chrysof. hom. 36. in 1. Cor.

*In hanc probrositatem morum.* Itaque Ecclesias, vel potius templa, atque altaria Dei, minoris reverentiæ quidam habent; quam cuiuslibet minimi, ac municipalis iudicii domum, Salviatus de Provid. Dei l. 3.

Stephanus Papa VI., cum animadverteret, à nonnullis irreverentiam templo exhibitam; dum ipse Missam celebraret, sub ipsa Missa ad populum conversus exclamavit: *Pavescite illum, qui flagellò factò de funiculis ejecit vendentes de templo.* Schönleben Disc. 27. in Dedic. Eccl.



## TITULUS IV. TEMPUS.

§. I.

### Symbola.

*Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves. Gen. 41. 1. 2. Ideo ascendebant de flumine: quod dies, anni, ac tempora, fluminis prætereunt modò, & cursim labuntur. S. Ambros. offic. l. 2. c. 16.*

Tempus rotæ speciem imitatur: utpote quod in se torqueatur, & convolvatur. S. Isidorus Pelsiota l. 2. ep. 158.

Rosa Sinenfis in patrio solo unicum diem vivit; & est veluti florum dies. Matutino cum albore albicat, cum meridiano ardore flammeola est, cum luce noctescente purpurat: at verò nostratibus in hortis hospes, biduo, triduoque, vivax. Ex Rosa Joan. B. Feirarii l. 4. c. 6.

Stella temporis est hieroglyphicum: qui nihil in toto Mundo statam temporis legem magis observat, quàm cœlestia corpora. Pierius Valerianus hierogl. l. 44.

§. II.

### Tempus pretiosum; bene eò utere.

*Ecce video caelos apertos. Act. 7. 55. Moneat, celebris Bononiæ Doctor, ad capeffendum S. Dominici institutum, per motus cujusdam ex eo ordine concionatoris, hæc verba S. Stephani explicantis, voce dicentis: ecce nunc caeli aperti sunt volentibus introire; sed mox in æternum claudentur his, qui hoc vitæ, & bene agendi, tempus neglexerint. Ita Chron. Ord. p. 1. l. 1. c. 37.*

Quid in craftinum differs? potes & hodiernum diem lucrari. Cavendum est, nè & illum non teneas. & hunc amittas. Non exiguum detrimentum est vel horæ unius: & una hora totius vitæ portio est. S. Ambros. ep. 82. ante finem.

Omne tempus opportunum ad indulgentiam. Si aurum tibi offeram, non mihi dicis, cras veniam; sed jam exiis: aurum accipere nemo differt, nullus excusat. Redemptio animæ promittitur; & nemo festinat. S. Ambros. f. de Elia, & jejun. c. 22.

Deputentur tempora, distribuantur horæ, pro salute animæ. S. August. l. 6. Conf. c. 11.

Pars modica temporis fœnerata Deo, non solum ipsa non deperit; sed cum magnis ab eo redenditur incrementis. Salonus Explic. in Ecclesiasten.

Dedit tibi vitam Deus, ut se colores; tu eam incasum, & inutiliter, consumis. Quæris, quod sit damnum? si vel parum argenti temerè consumpseris, id omnino summum appellas: sin totos dies in diaboli operibus consumpseris, nihil amisisse opinaris. S. Chrysof. hom. 57. in Joan.

Totum diem in iis rebus, quæ ad corpus spectant, infumis; & duas horas spiritualibus non vacas? Idem orat, de non contemnenda Ecclesia Dei,

Delectabile tempus, quod præterlabitur; & formidabile: delectabile propterea, quod sui fruendi persuasionem hominibus ingeneret; cormidabile; quod super vitâ futurum Dei iudicium lateenter inducit. Vita enim hominibus certamen est, & Creator agonothes; qui, exactò vitæ cursu, finem distribuens congruentem, virtuti coronas plectit; vitiosis verò moribus iudicium apparat. S. Basilius Seleuc. or. 27.

Væ delicias seclanti! tempore enim exiguo tanquam vitulus ad mastrationem paratur S. Nilus Cap. Paræn.

Dedimus corpori annum; demus animæ dies impendimus nobis tempora; tempus deputemus Authori. Vivamus Deo paululum, qui saculo viximus totum S. Chrysol. s. 12.

Quanti tempus sit, quis corde percipere? quisvè humanâ valet referare facundia? illud noverunt optimi, equi eò carent. Omnem siquidem Mundi substantiam, honores prælationum, sæculi pompam, corporis voluptates, & quidquid sub cœlo creatum est, delectabile, atque jucundum; pro unius horæ spatio, si possent, voluntariè commutarent. Hi sunt, quibus misericordia jam fecit occasum; qui irrevocabiliter in lacum miseriarum descenderunt. S. Laur. Just. l. de vita Solit. c. 10.

O Domine, Deus! vitæ meæ quot tempora effluxerunt, in quibus sine fructu vixi! coram te quomodo subsistam? quomodo ad te levare poterò faciem meam, in illo Magno, ut terribili examine; quando enumerare iusseris omnes dies meos, quærens fructum in eis! Idem de incend. div. am. c. 6.

Nihil pretiosius tempore: sed heu! nihil hodie vilius æstimatur! Transeunt dies salutis, & nemo recogitat: nemo sibi non reditura momenta perisse causatur. S. Bernardus f. de Verb. Petri: ecce nos &c.

Nemo vestrum, fratres, parvi æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis: siquidem tempus acceptabile est; & dies salutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile; nec advertit insipiens, quid amittat. Libet confabulari, ajunt, donec hora pertranseat. O! donec prætereat hora? ô donec pertranseat tempus? donec hora prætereat; quam tibi ad agenda penitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam; miseratio Conditoris indulget. Donec transeat tempus; quò divinam tibi repropitiare debuéras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. S. Bernardus f. de triplici custodia.

Tempus, quod ad penitentiam nobis divina clementia concessit, si perditam fuerit, in æternum recuperari non poterit: unde nulla jactura gravior est nobis, quàm jactura temporis perditii. S. Bonaventura f. 37 D. Septuag.

Ultimum periculum, est temporis ablatio, & cessatio. Modicò tempore potest homo lucrari

erari veniam, & gratiam, & gloriam. O si talis mercantia ad infernum portaretur, solum tempus dimidiæ horæ ad pœnitendum; emerent illud pro mille Mundis, si possent. *Veniam ad te tanquam fur*, ait Dominus Apoc. 3.3. Fur ad hoc venit, ut thesaurum indiligenter custoditum tollat. Thesaurus utique indiligenter custoditus est pretiosissimum tempus: quod meritò Dominus peccatori tollit, qui malè vivendo in lucro non ponit. S. Bernardinus t. 1. l. 13. Art. 3.

## §. XIII.

*Tempus breve.*

## TITULUS. V.

## TENTATIONES.

## §. I.

*Symbola.*

**S***I ambulavero in medio umbrae mortis.*

Pl. 22.4. Medium umbrae mortis agnoscimus vitam tentationis. S. Chrysof. hic.

*Salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquae &c.* Plal. 68. 2. Hac est deprecatio pœnitentis, vel tentati; loquentis ad modum naufragantium, quorum navis rupta est, & impletur aqua: tunc deprecatur Deum, ut salvas possint facere animas suas tantum, id est, vivi possint evadere. Hugo Card. hic.

*Ventus turbinis veniebat ab Aquilone.* Ezech. 1.4. Ventus turbinis ab Aquilone venit, quando frigidus à charitate Dei diabolus flavit; & turbine tentationis genus humanum in primis parentibus à beatitudinis statu deiecit. S. Rupertus c. 3. in Ezech.

*Motus magnus factus est in mari.* Matth. 8.24. Tempestas etiam oritur Apostolis: quia sine tentatione esse nemo potest. S. Ambros. l. 6. in Luc. 2.

Quotiescunque in tentationem incidis; scito malleum diaboli esse. Origenes hom. 3. in Jerem.

Quasi quaedam vestis animæ, caro est. Sed hæc nimirum vestis habet tineam suam: quia ab ipsa carnalis tentatio oritur, ex qua laceratur. S. Gregor. mor. l. 5. c. 29.

Quid est Mundus iste, nisi quidam spiritualis venationis locus? in quo tot tenduntur laquei, quot immittuntur tentationes, seu ad delinquendum hominibus emergunt causæ. S. Laurent. Just. l. de cont. Mundi. c. 18.

Quælibet tentatio, nuntius est Infernalis inimici; qui nos requirit ad ei consentiendum: & ut omnia nostra perdat, ac rumpat, fidelitatem suam, quam Deo, & Domino suo debet, & sponso. Et secundum quod Anima resistit plus, aut minus; secundum hoc custodit illa melius, aut pejus, fidelitatem, & gratiam sponsi sui, Gerson. de differ. peccator. mort. & venial.

*Primo mane - circa horam tertiam.*

Matth. 20. 1.3. Dies hujus sæculi spatium est: qui quidem dies nobis longus videtur; sed, si cum æternitate Dei conferatur, est brevissimus. Origenes hom. 10. in Matth.

Uniuscujusque hominis vita quanta est? adde quantoslibet annos; duc longissimam senectutem; quid est? nonne aura matutina? August. conc. primâ de prima parte Pl. 36.

Æternitatis comparata brevis est omnium temporum longitudo. S. Hieron. ep. 139. Cypriano.

Dies horarum, septimanæ dierum, menses septimasarum, anni mensium, labuntur instar. B. Theodorus Studias. 120.

## §. II.

*Tentationum utilitas.**Symbola.*

**P***rofectique de Mara venerunt in Elim.*

Num. 33.9. ubi erant duodecim fontes aquarum, & palma septuaginta. Mara interpretatur amaritudo. Vides, post tentationis amaritudinem, ad quantam deveniunt & dulcium pomorum, & aquarum profluentium, amœnitatem? Per tentationis itaque pugnam perducuntur ad palmas; & per fitis intolerandæ penuriam ad irriguam veniunt aquarum viventium affluentiam. B. Petrus Dam. lib. 2. ep. 7.

*Dabit pro terra silicem.* Job. 22. 24. Terra peccator est, Pl. 1.4. *tanquam pulvis*, quam dæmon huc illucque, jactat: cum justus efficitur, si lex est: ictus scintillas producit. Tentatus Deum invocat, coelum suspirat, proponit, &c. Olorius D. 3. Epiph.

*Surge Aquilo &c.* Cant. 4. 16. Volo permittere, quod surgant diversa genera tentationum, & perflect, id est, stimulent, hortum meum, id est sponsam meam; & fluent aromata illius, Quia per tales stimulationes tu mereberis, & redolabis congruè modò. Aquilo enim est ventus frigidus; aquifer verò est ventus calidus: & significant omnia genera tentationum; & omnia, quæ possunt inclinare ad malum. Quia quicumque malè agit; vel hoc facit ex timore infrigidante, vel ex amore malè inflammante. S. Thom. Aqu. hic Lect. 2.

*Ortò sole astuaverunt.* Matth. 13. 6. Per solem orientem intellige tentationes: eò quod tentatio ostendit homines, & declarat, quales sunt: sicut sol manifestat abscondita. Theophylactus hic.

Sicut caro, quamvis præcipua sit, nisi sale aspergatur, corrumpitur: ita & anima; quantumvis perfecta, nisi assiduis saliatu tentationibus, relaxatur. S. Ambros. tr. de 42. mans. fil. Ibr. Decima octava mansio,

*Testi.*

## Testimonia

## Ex Veteri, Novo, Patribus, &amp; Aliis.

*Vir erat.* Job. 1. 1. B. Job de virtute, & fortitudine animi, contra tentationes, quas, diabolo infligante, sustinuit, vir appellatus est. V. Beda hic.

*Tempus belli, & tempus pacis.* Ecclæ 3. 8. Qui bellum gerit contra spirituales nequitiâs, pacem cum Deo habet. Et in hac quidem vita tempus est assidue pugnandi contra principatus, & potestates: qui verò palmam consequetur, deinde in futuro sæculo lætabitur in deliciis, & in multitudine pacis. Olympiodorus hic.

*Erat navis in medio mari.* Marci 6. 47. Discipulos tentari permittit, ut discant patientiam. Nam propterea non statim illis assistit; sed totâ nocte sinit in tempestate esse; ut doceat, fortes esse; & non in principio tentationum sperandam requiem. Theophylactus hic.

Illud scientes, Martyrii occasionem esse quamvis tentationem. Clem. Alex. Strom. 1. 4.

Merito non solum ab incipientibus, verum etiam à provectissimis, Sanctis uniforniter Domino supplicatur, & dicitur: *& nò nos inducas in tentationem.* S. Ambros. 1. 2. de vocat. gent. c. 9.

Cogitur adversarius Sanctos Domini ad sua damna tentare. Dum enim tentat, meliores reddit; ut, qui tentatur, possit alios instituere, qui sibi ipse invalidus videbatur. S. Ambros. in Pf. 43. Et inter gentes &c.

Nulla sunt sine tentationum experimentis opera virtutis; nulla sine perturbationibus fides; nullum sine hoste certamen; nulla sine congressione victoria. S. Leo f. 1. de Quadrages.

Hoc ipsum de misericordia protegentis est; qui naturâ mutabili, nè de confectio prælio superbiret, semper voluit superesse, quod vincat. S. Leo f. 1. de jejunio Pent.

Et qui fieri potest, dicit aliquis, ut Martyres imitemur? non enim persecutionis est tempus. Equidem id etiam scio: persecutionis quidem tempus non est; ut martyris est tempus. Non persequuntur homines; at persequuntur demones: non vexat tyrannus; at vexat diabolus tyrannorum omnium sævissimus: non objectas prunas conspicias; at cupiditatis conspicias flammam accensam: illi cum bestiis pugnârunt; tu iram, immitem, & indomitam, belluam frænâ: illi adversus intolerabiles dolores steterunt; tu absurdas, pravafque, cogitationes, quæ in corde tuo pullulant, vince: ita Martyres imitaberis. S. Chrysof. t. 6. Laudatio S. M. Barlaam.

Mos est Deo, ut non liberet à periculis viros virtute claros; neque à tentationibus liberet: sed in ipsis tentationibus tantam suam declarat virtutem; ut tentationes ipsæ eis fiant occasio lætitiæ magnæ. S. Chrysof. hom. 62. in Gen.

Non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem; si propterea posset bene vivere, qui à nemine malè vivere suaderetur. V. Beda in Gen. 3.

Quot habeat Christus milites, certamen ostendit: qui triumphum mereatur, per bella cognoscitur. Ennodius 1. 2. ep. 14.

*Poynth. Sacra. Tom. II.*

Si homini videtur dura via virtutis, quia continuè oportet nos pugnare adversus carnem, & diabolum, & Mundum: recordetur, quòd, quamcunque elegerit vitam, etiam secundum Mundum, multa illi adversa, tristia, incommoda, laboriosa, patienda sunt. Idiota Regulâ. 1.

Desperant aliqui de Dei bonitate, si non suavitate dulcedinis suæ experimentò jugi gustent: quasi jam esse velint, non spe, sed ipsa re, beati; & possidere hereditate sanctuarium Dei: neque esse in laboribus hominum; neque cum hominibus per tentationes flagellari. Pf. 72. 5. Gerson. de consolat. Theolog. 1. 2.

Frequentè, dum graviter nocere cupit hostis, prodest admodum; & proficit in tantum; quòd crebro hominem tentare desistit, nè tentationem superando, mereatur. Gerson opusc. de div. tent. diaboli.

## §. III.

## Tentationibus resistendi motiva.

## Num. 1.

## Deus, &amp; gratia ejus, adjuvat.

*Noli timere: plures enim nobiscum sunt.*

4. Reg. 6. 16. Et nos dicamus, quoties ab inimicis Christi visibilibus, seu invisibilibus, circumdamur. Dicamus, inquam, fidem habentes, spem retinentes, charitate Deo propinquantes: noli timere, ô anima, noli timere Ecclesia: *plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Nobiscum est Dominus, nobiscum est Angelorum exercitus, nobiscum est spiritualis pugnae princeps, & victoriæ opifex, Spiritus Sanctus. S. Rupertus 1. 5. c. 33. in libros Reg.

*Ut tentaretur à diabolo.* Math. 4. 1. Merito nos D. N. J. C. jejunio suo, atque deserto, adversus voluptatum informat illecebras; & tentari se Dominus omnium à diabolo patitur, ut in illo omnes vincere disceremus. S. Ambros. 1. 4. in Luc. 4. Propterea tentari se passus est Imperator; ut doceret militem dimicare. S. August. f. 63. de divers. Rectè ergo continuè docturus, primùm tentationes nostras in semetipsum admittit, & vincit; atque vincendo, milites suos vincere voluit. S. Rupertus lib. in Evang. c. 15. Sicut pro nobis, & pro nostra salute, unigenitus Dei dignatus est incarnari, circumcidi, baptizari, crucifigi; ita & tentari: ut nobis virtutem, & gratiam, triumphandi in omni tentatione promereretur. Dion. Carthuf. in Luc. 4.

*Ecce video caelos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Act. 7. 55. Incunstanter offert sanguinem suum, qui præ oculis habet Regem suum; simul & bravium suum. Euseb. Emiss. hom. de S. Stephano. Vidit stantem: quia stare proprium est adjuvantis in prælio. Lyran.

*Non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* 1. Cor. 10. 13. Adverte, distributas à Domino tentationes, secundum eorum, qui tentantur, vires. Qui enim noverat; neminem, nisi Christum, victorem evasurum, ex præsentata Mundi monarchia; eum solum voluit eâ tentari. Similiter de dignitate Messia, quâ solum Joannem pulsari voluit. Joan. 1. 19. quia solum noverat eam refutaturum. Oleaster.

D d d d

Qui

Qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. S. Cyprianus ep. 9.

Plena sunt angelorum omnia, aer, terra, mare; Ecclesiæ, quibus Angeli præfunt. Adfunt Cherubim, & Seraphim; qui dicunt Sanctus! Sanctus! Sanctus! Plenus est Mundus Sanctarum Virtutum; quia plenus est nequitiarum: plenus est orbis terrarum remediis; quia plenus est laqueis. S. Ambros. Ocl. 1. in Pl. 118.

In tua pugna Dominus congredditur, Dominus dimicat: prælium tuum, Christi est prælium: peremptio hostis, gloria est Imperatoris. S. Chrysost. f. in illud Sap. 3. iustorum animæ.

Adamante solidiores nos Dei gratia efficit; & si volumus, omnino impugnabiles. Itaque sicut qui adamantem tundit, nihil adamanti nocet; sed seipsum fatigat, & robur suum imminuit: in hunc modum res se habent nostræ cum salutaris adversario; si armis, quæ nobis Spiritus S. gratia exhibet, continuo nos muniamus. S. Chrysost. hom. 4. in Gen.

Quid nocere poterit eorum, quæ sub cælo sunt; quem Deus cæli protegere, & conservare, voluerit, S. Bernardus l. 1. sup. qui habitat &c.

Ex quo argumento magno factum est nobis, quod neminem Deus in tentationibus, & tribulationibus, derelinquit; ut non ministret de superis necessariam omnino virtutem; confortet angelicè, qui humanè succumbit; comedat de cælis, quod non reperitur in terris: ut & velut corporeus, & passibilis, sustineat passiones. Sim. Cass. l. 13. c. 13. Luc. 22. confortans eum.

Post gravissimas tentationes, S. Antonius sentiens præsentiam Domini; ubi eras, ait, bone Iesu? ubi eras? Quare non à principio adfuisi, ut sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta, Antoni, hinc eram; sed expectabam videre certamen tuum Præfat. vitæ S. Antonii.

Num. 2.

**Tentationibus possumus resistere; nostrâ ignaviâ vincimur.**

**Ex Veteri.**

Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israël; sin autem paululum remississet, superabat Amalec. Ex. 17. 11. Orat Moyses, & vincit; cessat, & vincitur. Didicit Christianus, quid gerat; invenit, quid fugiat. Didicit, inquam, unde aut vincatur, aut vincat: quamvis instantius Christiano orandum sit; & quia periculosior hostis est, & pro seipso, non pro altero, pugnat. Unde apparet, vires hosti illi dare, qui cessat; & sese ei subicere, qui non orat: quod totum est, odisse sua, & diligere aliena: sibi ipsi hostem existere, dum contra hostem nolit jugiter exorare. Hostis enim, dum oras, premitur; dum cessas, erigitur. S. Chrysost. t. 1. f. de Moysse. Nec quisquam poterit excusari, qui hostem vincere nolit; dum orando cessat: & tamen in Moysse corpus deficiebat, non voluntas aliquando cessabat. Si ergo fragilitatis causa in Moysse excusare non potuit, quemadmodum in nobis voluntas poterit excusari? S. Rupertus l. 3. in Ex.

Securi erant, & nihil adversi sustinuerunt. Judic. 8. 11. Israelitæ de tribu Dan, vidisse dicuntur populum habitantem in quadam regione; absque omni timore securum; indeque audaciam sumpsisse ad illum invadendum. Sic demones se animant &c. Diez conc. 2. D. 5. Epiph.

Filiis tuis, & filiabus, vescentibus, & bibentibus vinum, - repente ventus vehemens irruit &c. Job. 1. 18. Notandum, quæ tempora tentationibus congruant. Tunc quippe diabolus tentandi tempus elegit; quando B. Jobi filios in convivio invenit. Neque enim solummodo intuetur hostis, quid faciat; sed etiam, quando faciat: nam quamvis potestatem accepit; aptum tamen ad subversionem tempus exquirivit. S. Gregor. mor. 1. 2. c. 9.

Aperi mihi soror mea. Cant. 5. 2. Ponit his verbis rationes, ad suadendum peccatori, ut aperiat Deo. Cum ait: *aperi mihi*, insinuat, aperuisse peccatorem aliis, vel aperire solere. Et enim ad januam cordis stat etiam diabolus pulsans; sed aliò modo, quam Deus. Sicut enim in palatis regum plures sunt ordines portarum, antequam perveniatur ad secretum cubiculum: ita cor hominis plures continet ordines portarum. Quinque sensus sunt portæ; magis intimæ sensus interni, phantasia, appetitus sensitivus: per quas etiam intrat diabolus, & vehementius pulsât; cum fœdas cogitationes excitat, & immittit; quas David Pl. 77. 49. vocat *immissiones per angelos malos*. Et sic *misit diabolus in cor Judæ* Joan. 13. 2. ut traderet Christum. Diabolus quidem immittit; sed Judas admisit, & consentit: & ideo ad possidendum cor ejus intravit; cum tamen illam immisionem potuisset repellere. Universa enim potestas diaboli non amplius se extendit, quam ad pulsandum ad has januas: at ulterius est intimior cordis janua ad superiorem spiritus partem, ad quam solus Deus immediate pulsare potest; immitendo in intellectum, vel voluntatem, piæ cogitationes, & ferventes affectus. de Ponte hic Exh. 8. §. 1.

**Ex Novo.**

Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Matth. 4. 6. Tentat etiam Simonem Magum, ut per aera volitet. Cur tam diversimodè tentat? Hic valde superbus; à quo multum distat Christus. S. Gregor. M. l. 14. c. 7. intuetur inimicus generis humani uniuscujusque mores; cui vitio sint propinqui: & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit facilius inclinari mente. Job. 41. 4. *quis revelabit faciem indumenti ejus?* q. d. quis diaboli vestem ex forma discernet? Sylveira hic.

In montem excelsum valde. Matth. 4. 8. Ut locus esset occasio consentiendi tentationi: sciens, ex mutatione locorum sæpe mutari affectum. Dion. Carth. hic.

Descendit pluvia, & venerunt flumina & cecidit &c. Matth. 7. 27. Quis illam domum demolitus? non sola tempestas, nec ventus: nam aliàs & altera domus destrueretur; sed malum fundamentum fuit causa. Ità tentationes, quæ malos, & probos, impetunt, eadem sunt.

aream

aream ventus sufflat; paleas secum fert; triticum manet. Causa non solum ventus, sed palearum levitas: Te non ducit tentatio, sed tua voluntas, quæ nihil ponderis habet in virtute. Impii, *tantum puerus, quem projecit ventus*. Pl. 1. 4. Iusti sicut *plantatum lignum*. Stella in Luc. 4. Pluvia notat tentationem Mundi; flumina carnis; venti diaboli. Pluvia enim ex alto descendens, terramque irrigans, inflans, tumemque efficiens; notat ambitionem honorum, & cupiditatem opum, quas affert Mundus. Flumina, quæ ex terra oriuntur, & domum circumlambunt; notant tentationes carnis, quæ ex ipsa carne oriuntur; eamque oblectando, quasi circumlambunt; ut à puritate, quam lex Dei præscribit, desistant. Venti, qui ex acre invisibiliter in domum inflant, sunt tentationes diaboli invisibilis. Cornelius in Matth. 7. 27. Homini vitium est, si cadat: tentatio hominem manifestat. Malè compacta navis etiam levî tempestate solvitur: rupes decumanis quoque fluctibus sine damno quatuntur. Illud discrimen Salvator indicat exemplò sapientis, *domum supra petram edificantis super arenam*. Iisdem pluviis, fluminibus, ventis, utraque concutebatur. Domus sapientis stetit; stulti collapsa est. Quis causa lapsus? non venti, non flumina, non pluvia; alioquin etiam domus Sapientis corruisset. Causa igitur fuit arena; in qua domum suam stultus malè fundavit: non cecidisset, si firmum fundamentum posuisset. Stengelius div. Jud. t. 4. c. 56. Vides, quòd non tentationum insidius, sed edificantium stultitia, ruinam fecit. Etenim illic pluvia, & hic pluvia; illic flumina, & hic flumina; & illic ventorum incursus, & hic idem: ille edificavit, & hic edificavit: & eadem edificatio, & eadem tentationes; & non idem finis: quoniam non idem fundamentum. Non enim tentationum natura, sed edificantis imprudentia, ruinam fecit; alioquin oportuisset & domum supra petram edificatam cadere. S. Chrysost. hom. 4. ad pop. *Superfeminavit & abiit*. Matth. 13. 25. Dæmon superfeminare tantum potest malæ cogitationis zizania: ut fructum pariant, nequit efficere. Tentare potest, ut assentiatis tentationi; efficere non potest. Unde, postquam feminat, abire: quasi id jam fecerit, quòd potest; reliqua tibi faciendâ relinquit. Nisi terra excipiat, & foveat; fructum non ferent. Barradius D. 5. Epiph. t. 2. l. 9. c. 3.

*Cum dormirent homines &c.* ibidem. Diabolus ad nocendum, ex negligentia nostra, occasione utitur. Diez conc. 2. D. 5. Epiph.

*Orate, ne intretis in tentationem.* Luc. 22. 46. Non dicit, ne tentatio intret ad vos; sed ne vos intretis in illam: quoniam primum in voluntarium est, secundum verò voluntarium. Cajetanus hic.

*Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Rom. 6. 12. Notat S. Chrysost. & Theodoretus: non dicit, non tyrannizet, quasi invitis vobis, peccatum: quia peccatum in nobis regnare non potest; nisi nobis volentibus, illudque sponte acceptantibus; ac consequenter tyrannizare nobis non potest. Cornelius hic.

*Habebat loricas igneas.* Apoc. 9. 17. Du. *Polyanth. Sacra Tom. II.*

plicia sunt arma: offensiva, ut gladius, lancea, sagittæ: defensiva, ut lorica, scutum. Cur hi equites non habent lanceas? Respondeo: quia hujus exercitus duces sunt demones; qui nemini possunt nocere, nisi ei se submittat. Sylveira hic.

#### Ex Patribus, & alijs.

Cum diabolicis anima subesse suasionibus cœperit; quòd se hosti callido crebrius subjicit, tantò eum sibi intolerabiliorem facit: ut ei jam in nullo resistere valeat, uti in uno sui oblita assensum præstat. S. Gregorius in Pl. poenit. Pl. 2. Quoniam iniquitates supergressæ &c.

Si spiritus dominantis ascenderit in te, locum tamèn non deseras; si ostium ocluseris, minimè tibi nocebit. Si verò neglectè susceperis concupiscentiæ incitationem; radices in te figet, & mentem tuam ligabit, & te detrahet in foveam malorum, S. Cyrillus Jerof. Catech. 2.

Liberum arbitrium habet anima: & potest quidem diabolus incitare, cogere autem, præter voluntatem, omninò non potest. Subjicit tibi scortationis cogitationes: si vis, probas; si nolis, improbas. Si enim ex necessitate scortareris; cujus gratiâ Deus gehennam parâset? Et si naturâ, & non voluntate, justè ageres; cur Deus coronas pararet? Mansuetum est animal ovium; neque tamèn illa propter mansuetudinem coronatur: quoniam illa mansuetudo non ex voluntate, sed à natura illi inest. Idem Catech. 4.

Quemadmodum hasta, quæ in clypeum incidit; si mollis quidem sit, eum excindit; durò autem, & repugnantem, nihil facit; sed, reflexâ acie, vana, & inutilis, excidit: ita etiam usquevenit in anima. Si mollem enim & delicatam, invenerint tela, quæ mittuntur à diabolo; in profundum pervadunt: sin autem duram, & validiorem; & ipse abire infectâ, & ei nihil mali facit. S. Chrysost. in Pl. 9.

Non est amplius apertum bellum, nec ex æquo instructa acies. Sed ille quidem jacet pronus, & procumbens; tu autem stas erectus, ex alto eum feriens: ille quidem enervatus; tu verò robustus, & validus. Qui sit ergo, ut saepe vincat? hoc sit ex nostra ignavia; & ex socordia eorum, qui dormiunt. Idem in Pl. 123.

Filius prodigus cupit implere ventrem de filiquis porcorum; & nemo illi dabit. Per filiquas porcorum diversas cogitationes intelligimus; quibus maligni spiritus tanquam porci incrasantur; quæ aliquando cupienti non dantur: frequenter enim homo plus peccat, quàm diabolus suggerat; prævenit enim homo frequenter diabolum. Unde Ezech. 16. 27. *dabo te in manus odientium filiarum Palestinarum, quæ erubescunt in via tua scelestâ.* Grandis pudor! quòd diabolus erubescit de peccato hominis, quòd ei non suggerit; & homo non erubescit. S. Antonius Pad. Dom. post. Trinit.

Ostium mentis voluntas est, seu consensus ejus: quòd & bono, & malo, à libertate arbitrii, per assensum, & dissensum, aperiri, & claudi, potest. Ex quo patet, quòd liberum arbitrium portarius est, ad aperiendam hanc januam voluntatis. S. Bernardinus t. 3. l. de amore inter Deum, & hominem.

Ddd dd 2

Volun-

Voluntas libera est janitor animæ: quia quodcumque pulsaverit ad januam visus, vel auditus, vel alterius sensus; voluntas statim adest, ad aperiendum, vel excludendum; hoc est, ad volendum, vel fugiendum. Si bonum occurrat, & voluntas hoc velit; Deo aperitur: si malum, & voluntas hoc velit; diabolo aperitur. Et ideo non debet nimis festinanter aperire; sed recurrere ad castri custodem, id est, rationem. Broyard Voluntas libera.

Sicut, cum fur ad januam, furandi animo, accedit, prius seram tentat; quam si firmam comperit, spem furandi amittit: ita etiam diabolus prius seram tentat, id est, quale quisque non peccandi propositum habeat. Quod si firmum invenit, pusillanimitas ab incepto desistit. Diez conc. 4. de Incarnat. Dom.

Num. 3.

### Tentationes vincendi motiva.

#### Ex Veteri.

**Scrutare, quidquid tuorum** &c. Gen. 31. 32. S. Ambros. l. 2. de Jacob c. 5. Venit ad eum Laban, id est, *dealbatus*, puta Sathanas, (quia *Sathanas transfiguratur se in angelum lucis*. 2. Cor. 11. 14.) & cepit ab eo sua requirere. Respondit Jacob: nihil tuorum habeo. Quare, si quid agnoscis tuorum vitiorum, & criminum; nihil mecum abstuli fraudum tuarum. Omnia tua, tanquam contagium, refugi. Et quaesivit Laban, & nihil suorum reperit. Quam beatus vir, in quo inimicus nihil invenit, quod suum possit dicere; in quo diabolus nihil offendit, quod suum agnosceret. *Venit princeps Mundi hujus, & in me non habebit quidquam.* Joan. 14. 30. Nihil est enim, quidquid est diaboli; quod nullam potest habere perpetuitatem, atque substantiam, apud Cornelium hic.

**Irruit spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem.** Judic. 14. 6. Leo est res ardua, ut gravis tentatio; quam, instar Samsonis, invocato Dei spiritu, animose invadere, & superare, debemus. Occide hunc leonem: occisus amplius te non vexabit. Unde à Job 4. 10. 11. juxta Sept. vocatur *myrmicoleon*, id est, *formica leo*. Tradit Plinius, & alii: leonis animos, viresque, infringi; si quis in oculos, vultumque, ejus pallium, vestemque aliam, injiciat. Cornelius hic.

**Egressusque est Sathan a facie Domini.** Job. 1. 12. Ecce ad feriendum invictissimum robur inimicus seviens, quot tentationum jacula invenit. Ecce quot obsidionum machinamenta circumposuit. Ecce quot percussionum tela transmisit. Sed in his omnibus mansit meus imperterrita, stetit civitas inconcussa. S. Gregor. c. 4. de Job. in Prefat.

**In die tribulationis meæ Deum exquisivi.** Pf. 76. 3. Testimonium bonæ conscientiae, & patientia in tribulationibus, & frequentes victoriæ adversus tentationes, efficiunt; ut anima experimento quodam dulcedinem Dei sentiat, & testimonium Spiritus in se habeat; quod sit filius Dei. Bellarminus hic.

**Latentur insulae multae.** Pf. 96. 1. Pulchrè

animas, quæ licet tentationibus agitatae, stabilitatem, & firmitudinem, retinent, insulas appellavit; quas undique circumdat quadam malitiæ falfugo: sed tantum allapsu suo non potest, ut astu aliquo virtutis constantiam labefaceret. S. Gregor. Nyss. tr. 2. de inser. psalmor. c. 9.

**Ab omni via mala prohibui pedes meos.** Pf. 118. 101. Pedes significant mentis assensum; quæ nos quodam vestigiò ducit ad culpam, & ad vias malas compellit; nisi eas pietas divinitatis abstraxerit. Cassiodorus hic.

**Et ad domum Dei Jacob.** Il. 2. 3. Ecclesia nuncupatur domus. Sed cur domus Jacob? respondet Procopius, quia Jacob luctator, & victor, exstitit. 32. 25. Qui enim ad Ecclesiam Dei pertinet, debet cum vitiis, & passionibus, luctari, & supplantare demones. Arcones hic Disc. 6.

Legitur 1. Mach. 6. 34. quod ostenderunt elephantis sanguinem uvæ, & mororum; ut acuerent eos ad bellum: quod fit; quando tepidis, & pigris, adhibentur Passiones Sanctorum in exemplum. S. Thom. Aqu. in ep. 2. Cor. 1. Lect. 3.

#### Ex Novo.

**Serpentes tollent.** Marci 16. 18. Serpentes tollit, qui diabolicas suggestiones, & venenatas tentationes supplantat. Dionys. Carthuf. hic.

**Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.** 1. Cor. 10. 13. Dæmoniæ est, maligna tentatione vinci, & peccare ex malitia: Angelicum eam non sentire: humanam sentire, & vincere. S. Anselmus apud Cornelium hic.

**Vincenti dabo edere de ligno vitæ.** Apoc. 2. 7. Lignum vitæ Christus est, qui suis electis semetipsum participando per gratiam, vitam æternam præbet. Richardus à S. Vict. q. d. qui diabolum vincit, edet de ligno vitæ: quia suavitare, & dulcedine, Christi satiabitur; modò per participationem gratiæ, post visionis beatæ. Silveira hic.

**Dabo illi stellam matutinam.** Apoc. 2. 28. Aretas, Andreas Cæsar. diabolum intelligunt, juxta illud Il. 14. 12. *quomodo cecidisti de cælo Lucifer.* Permittit Dominus, juxta hanc sententiã, victori dandi diabolum calcandum sub pedibus; quod precatur Paulus Rom. 16. 20. *Deus pacis conterat Sathanam sub pedibus vestris velociter.* Et Luc. 10. 19. *dedit vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpionem, & super omnem virtutem inimici.* Sylveira hic.

#### Ex Patribus, & alijs.

Nunquam remittendæ sunt excubiæ, si quando hostis simulabit tranquillitatem; sed observans inimici insidias, dicat cum B. Habacuc. 2. 1. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum supermunitionem,* omni custodia servans cor meum. S. Cyprianus lib. de duplici martyrio.

Si tentationi in corde nascenti festinè non resistitur; hac eadem, quæ nutritur, morâ roboratur. S. Gregor. mor. l. 21. c. 7.

Et tu dicito, si fortè videris, adversum te diaboli tentamenta: quid mihi, & tibi, est Belial? Ego Christi servus sum, illi me totum mancipavi; quid mihi, & tibi, est? Non novi opera tua; nihil

nihil tuum quero, nihil tuum possideo, nihil tuum desidero. Quanto magis nos oportet separari à diabolo, si ille sic discernit à Christo. S. Ambros. l. de Elia c. 20.

Quia Petra dicitur Christus, eam nobis id nomen afferet utilitatem; ut rectam vivendi rationem, firmam, ac stabilem, teneamus: & in rebus adversis fortiter perferendis constantes simus; adversusque peccati impetum omnem, strenuos, atque invictos animos, præstemus. Ex his enim rebus, & aliis hujusmodi, nos item erimus petra; in natura fragili firmum, & immutabile, Domini robur pro viribus imitantes, S. Gregor. Nyss. de perfectione Christiani.

Quantò imbecilliori reluctamur, tantò minus, si vincimur, venià digni sumus, S. Chrysost. hom. 79. in Matth.

Te querit certamen impar; te expetit mortalis infirmitas: quia majestatis tuæ gloria est, si leo rugiens ab infirma ove superetur; si spiritus violentissimus à debilissima carne vincatur. Fac illum tristem de humana læticia; qui de offensione nostra semper exultat, Cassiodorus in Pf. 150. Conclus. ad Deum.

Peccato homo non solum non debet consentire; sed neque in ejus delectatione, vel animò, detineri. Sicut venenosum cibum homo non solum non vult comedere, sed nec etiam gustare. Geminianil. 9. c. 57.

§. IV.

### Tentationibus maxime Deo devoti obnoxii.

Num. 1.

Figure, & Symbola.

Ex Veteri.

**N**oli timere Abram: ego protector tuus sum. Gen. 15. 1. Dixit Deus post triumphum. In conflictu spirituali majora sunt post triumphum discrimina, quam ante prælii initia. Nec enim res tota planè confecta est, cum dæmon in tentatione devictus; nisi Deus denuò subveniat, novasque vires ministrat. Did. Niss. D. 1. Quadr. §. 8.

Oderat ergo semper Esau Jacob, Gen. 27. 41. Nota: post acceptam Patris benedictionem statim tentatur Jacob, persecutionem patitur, denique fugatur è domo patris: ut cogitare quis posset, nihil illi profuisse; imò obfuisse benedictionem. Sed eventus docuit, illam ipsi profuisse. Cornelius hic.

Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum &c. Jos. 10. 5. Quinque reges concitarunt contra se Gabaonitas; quia transfugerunt ad Israël. Origenes hom. 11. in Jos. cum anima humana Verbo Dei se sociaverit; dubitare non debet, statim se inimico habituram: & eos, quos habuerat antè amicos, in adversarios esse vertendos. Idque non solum pati ab hominibus se speret; verum etiam de contrariis virtutibus, & spiritualibus nequitiis, id sibi imminere pro certo sciat. Et ita fit, ut qui amicitias expetit Jesu, multorum sibi sciat inimicitias tolerandas. A primordio iustitia vim patitur:

statim ut coli Deus cœpit, invidiam religio sortita est. Tertull. l. Adv. Gnost. c. 8.

*Et convenerunt in Masphat.* &c. i. Reg. 7. 6. Præterita flagitia abjurant, lacrymis diluerant, jejuniis se maceraverant; cum subito Philistinorum satrapæ cum ingenti, non modo suorum, sed etiam Tyriorum, exercitu instant oppugnatores. S. Gregor. in lib. Reg. quia, cum altiori vitâ proficimus, maligni spiritus, qui bene agentibus semper invident, nobis infellores sunt. Mendoza hic.

*Totum pondus prælii versum est in Saul.* i. Reg. 31. 3. Cur omnium hostium furor in unum illum ferebatur? Causam Scriptura dedit i. Reg. 9. 2. *non erat vir de filiis Israel melior illo, ab humero usque & sursum, eminebat super omnem populum*, sic dæmones in eos, qui cæteris eminent, majore impetu feruntur. Did. Niss. D. 1. Quadr. §. 2. Cassiodorus l. 1. ep. 2. graviores insidias adversarii tunc subimus, quando Dei dona suscipimus.

*Cogitaverunt adversus Sanctos tuos.* Pf. 82. 4. Post baptismum tentatur Christus: eò quòd in sanctificationis maxime diaboli tentamenta grassantur. S. Hilarius.

*En lectulum Salomonis sexaginta sortes ambiunt.* Cant. 3. 7. Nec in ferculo, nec in throno, nec in quadrigis, adhibuit sibi Salomon satellites, & excubitores; sed ad solum lectulum. Utdoocamur: ibi maxime timendas, ubi pax, & securitas, ad somnum provocant. Oliva l. 9. Strom. §. Nox præcessit.

*Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Cant. 6. 3. Cur in hoc encomio ultimo loco addit hoc sponsum? ut insinuet: animam, quòd pulchrior est, suavior, & magis decora, sicut Jerusalem; eò vehementius ab hostibus obfideri, & impugnari; ut ejus decorem penitus exterminet. de Ponte hic Exh. 2. §. 1.

### Ex Novo, Patribus, & Aliis.

*Superseminavit Zizania.* Matth. 13. 25. Non prius, quam bonum semen seminatum. Item non in medio spinarum; sed in medio tritici. Mendoza in i. Reg. 7. 5.

*Et discerpens eam spiritus immundus.* Marci 1. 26. Cur dæmon discerpens egreditur è homine? S. Gregor. hom. 12. in Ezech; quid est, quòd obsessum hominem antiquus hostis, quem possessum non discerpserat, deserens discerpserit? nisi quòd plerumque, dum de corde expellitur, aciores in eo tentationes generat, quam prius excitaverat, quando hoc quietus possidebat.

*Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura.* Apoc. 12. 4. Adhuc parturit mulier celo nota; quòd pertinet ad conceptum votum pie vivendi: sed adest jam draco, ut vim faciat. Velloso in Judith 5. Parænet. 27.

Sicut raptores, & fures, libentius efferunt aurea, quam argentea, vel lignea, vasa; sic & diabolus per se, vel per alios homines, trahit ad peccatum libentius chariora Ecclesiæ membra. S. Bonaventura l. 1. D. 15. Pent.

Dddd 3

Num;

Num. 2.

## Exempla, &amp; Sententis.

## Ex Veteri.

*Nunquid considerasti servum meum Job.*  
 1. 8. Illico eum expetit ad certamen: *extende paululum manum tuam.* v. 11. Mira diaboli spes de casu nostro. Licet enim armeris; licet viceris, & triumphes; victoriam sperat. Eluxit id in viro sanctissimo Job: quem licet sciret probatum per omnia, omnibusque virtutibus ante certamen exercitum: ipse enim nec filios profuse diligebat, nec uxorem; fœdus inierat cum oculis c. 31. 1. ab omni cupiditate purus. Nihilominus blasphemias abeius ore exortum iri credit; si eum liberis, & fortunis, spoliaret. S. Chrysof. hom. 34. in Matth. quare in mentem diabolo venit, exercitationes ipsius non ignoranti; tot, tantosque, adversus ipsum excogitasse labores? Truculentissima est certe bestia; nec unquam solet desperare victoriam. Quod ad condemnationem nostram spectat: nam ille nunquam nostram desperat perditionem; nos de salute nostra desperamus. Oliva t. 2. Strom. §. Me expectaverunt peccatores.

*Tuus sum ego: salvum me fac.* PL. 118. 94. Incipit tunc timere, cum securus jam esse deberet. Antequam Dei fieres, rogandus erat, ut te salvaret. Sapienter timet tunc maxime, cum se vidit in domo Dei ornatum virtutibus, & locupletatum. *Tuus sum ego: salvum me fac.* Quia tibi propior factus sum, ideo vicinior factus hosti. Tunc ego salutem; quia jam milito Salvatori: nunc paveo, quia tuus sum. Nam & navis, quod pretiosiores vult merces, edo diligentius à pyratibus exquiritur, & fortius invaditur. Oliva t. 2. Strom. §. Tuus sum ego &c.

*Præpara animam tuam ad tentationem.* Eccli. 2. 1. Cur accedenti ad servitatem Dei parata est tentatio? R. quia talis recedit à servitute diaboli: qui indignans, se suo peculio, & jure herili, privari; eum, ut servum fugitivum, & apostatam, persequitur, tentatque; ut ad sua castra, ad suum jus, & dominium reducat. Cornelius hic.

*Cibus ejus electus.* Habac. 1. 16. Non vult quemlibet decipere. Saul regem, qui electus à Domino est; & Judam Apostolum, supplantare festinat. S. Hieron. c. 16. in Ezech. Sicut enim animarum salus, Christi D. cibus est; ita earundem pernicies diaboli cibus est; qui tamen electus dicitur: quia non tam improborum hominum, quam iustorum, perditione lætatur. Hunc enim velut ex mensa Christi electum cibum rapere, ac devorare, conatur. Diez. Bellum spirituale.

## Ex Novo.

*Tunc ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur à diabolo.* Matth. 4. 1. Hostis noster adhuc in hac vita nos positos, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. Contra nos vero eo vehementius incitatur, quò ex corde nostro,

quasi ex jure sue habitationis, expellitur. Hoc enim in seipso Dominus sub quadam dispensatione figuravit, qui diabolum non nisi post baptismum se tentare permisit: ut signum nobis quoddam futuræ conversationis innueret; quòd membra ejus, postquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent. S. Gregor. mor. l. 24. c. 7. S. Chrysof., Euthym. &c. expendunt *ly tunc*. Scilicet mox ubi baptizatus, & summi Dei Filius dilectus, Patris ipsius voce proclamatus fuit. Ex quo discimus: quòd majori cum sollicitudine, timore, circumspectione, vivere debet; qui Deum magis propitium, ac benignum experitur; diabolus enim huc omne studium suum vertit; ut eum dejiciat. Did. Niss. D. 1. Quadr. §. 2. Dæmon spirituales viros maxime nititur tentare; & solitariis insidiatur: utpote quibus, subactò Mundo, & carne, contra solos daemones pugna restat. Cajetanus hic. Quòd diabolus Christum post baptismum, & jejunium, tentare aggressus est, innotescit; quòd tunc potissimum nititur hominem impedire, ac vincere; cum viderit eum incepisse profectum, & aliquò ferventiori proficiendi desiderio inflammatum. Dion. Carthus. in Luc. 4.

*Bonum certamen certavi, cursum consummavi.* 2. Tim. 4. 7. Certaminis nomine virtutes à se excultas, fidemque significavit servatam: quasi idem sit virtus, & certamen. Naxera in Jos. 10. §. 10.

## Ex Patribus, &amp; aliis.

Pervicacissimus hostis ille nunquam malitiæ suæ otium facit: atque tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat, & ingemiscat, necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis erosos. Doleat, quòd ipsum, & Angelos ejus, Christi servus, ille peccator, judicaturus est. Tertull. l. de pœnit. post initium.

Venisti ad aquam baptismi: istud est certaminis, & pugnæ spiritualis, initium: hinc tibi adversus Zabulum nascitur pugnæ principium. Origen. hom. 9. in Judic.

Neque enim persequitur, & impugnat, Christi adversarius nisi castra, & milites. Hæreticos prostratos semel, & suos factos, contemnit, & præterit. Eos quatit dejicere, quos videt stare. S. Cyprianus ep. 58.

In fine nè corrumpas: Tunc enim diabolus spirat vehementius. Et quemadmodum piratæ, qui mare navigiis infestant; non tum, ubi conspexerint naves à portu exeuntes, invadunt: quid enim hinc fructus caperent, si scapham inanem demergerent? sed ubi redierint onustæ, plenæque sarcinis; tum demum omnes expediunt artes: ita sceleratus ille dæmon, simul atque videt aliquos multa collegisse; videlicet jejunia, preces, eleemosynam, castitatem, reliquasque virtutes omnes; ubi videt, navigium nostrum esse plenum pretiosis pietatis lapidibus: tunc irrumpit, undique thesaurum perforans: ut in ipsius portus ostiis scapham demergat; jamque nudos nos ad eum portum eji-

ciat,

ciat. S. Chrysostomus homil. 3. in Isa.

Tunc diabolus fevior efficitur, tunc magis efferatur; cum viderit, nos cum diligentia vitam nostram disponentes; cum viderit virtutis onera composita, & magnos cervos; tunc gravius inferre naufragium studet. Idem hom. 1. ad pop. Antioch. de Timotheo. Videlicet.

Athleta Christi, in corpore commoranti, nunquam deficit colluctationum palma: Sed quanto magis triumphorum successibus crederit, tanto ei etiam colluctationum robustior ordo succedit. Cassianus de coenob. instit. l. 5. c. 19.

Nullum certius argumentum est, quod daemones à nobis victi sint; si nos acerrimè oppugnent. Joan. Climacus gr. 27.

Optimum signum est, cum homo tentatur: quia ex hoc ostenditur, quod diabolus in ejus vita offenditur. S. Bonaventura l. 69.

§. V.

*Tentationes periculosa, continua, ubique.*

*Quoniam pater meus, & mater mea, dereliquerunt me. &c.* Psal. 26. 10. Verè, si quis fragilitatem naturæ humanæ consideret, & hostium invisibilem potestatem; & quanto pere in omnibus actionibus Dei gratiâ egeamus; nullò modo negare poterit, nos infantibus, à parentibus neglectis, rectissimè comparari. Porro S. Ezechias usque adeò rem hæc intelligebat; ut non infanti, sed pullo hirundinis, seipsum compararet. Il. 38. 14. *sicut pullus hirundinis &c.* Bellarminus hic.

*Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me; & multiplicati sunt, qui oderunt me: ne derelinquas me Domine Deus; ne discesseris à me.* Pl. 37. 20 &c. S. Basilus M. prætrepidus providè admodum ait, *inimici mei vivunt*: non enim sunt mortui; neque, ut semel in me quidvis moliti sunt, sic abierunt. Vivunt, & quotidie invalescunt, plures contra me exsistentes. Apud Did. Niss. l. 2. D. 4. Quadr. §. 5.

*Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi.* Eccl. 3. 5. Est omnino intelligendum, quòd, quæ vitium perimunt cogitationes, ea sunt lapides; qui ab Ecclesiaste fundà rectè jaciuntur: quos semper mitti oportet, & colligi. Et mitti quidem ad eum evitandum, qui contra vitam nostram erigitur: colligi autem ad hoc; ut animæ nostræ sinus sit iis præparatis: ut ad manum sit, quod jaci possit in adversarios; si quando nobis fuerit insidiati. S. Gregor. Nyss. hom. 7. in Eccl.

*Et accedens tentator.* Matth. 4. 3. S. Leo querit: unde daemón tam audax; ut Christum tentare non timuerit? Respondet l. 3. de Quadr. c. 2. viderat superbiam suam baptizati D. Jesu humilitate calcatam: intellexerat quadraginta dierum jejuniò omnem cupiditatem carnis exclusam; & tamen non desperavit de actibus suæ malitiæ spiritualis improbitas: tantumque sibi de naturæ nostræ mutabilitate promissit; ut, quem verum experiebatur hominem, præsumeret fieri posse peccatorem.

*Assumpsit eum diabolus in Sanctam civitatem &c.* Matth. 4. 5. Et hoc magis tremen-

dum; quod neque virtus impleta, neque sanctitas approbata, neque locus Domino dedicatus, cohibuit hostem à congressu. S. Paschasius. Non se eremita in suo recessu, & latebris; non Religiosus in suo Monasterio, securum puter; cum daemón putaret Christum, quò minus vitici posset, nihil vel ab eremo, vel à virtute, & exploratâ sanctitate subsidii habiturum. Did. Niss. Vit. Abr. l. 4. c. 2.

*Plena oculis.* Apoc. 4. 8. *Scito, quoniam in medio laqueorum ingrederis.* Eccl. 9. 20 Multi requirunt multos oculos: princeps tenebrarum mille habet nocendi artes, in cibo, potu, incessu, veste, sermone, horum frequenzia, solitudine; secundis, & adversis, rebus; in ipsi bonis operibus de vana gloria. Cant. 44. *nulle clypei pendunt ex ea.* Sylveira hic.

Sex millia annorum jam propè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia genera tentandi; & artes, atque insidias, deiciendi, usu ipsò vetustatis edidit. Si imparatum invenerit militem Christi; si rudem; si non sollicitum; ac totò corde vigilantem: circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. S. Cyprianus lib. de exhortat. martyrii.

Habet pax nostra pericula sua: & frustra de fidei libertate securi sunt, qui vitiorum desiderii non resistunt. S. Leo l. 6. in Epiph.

Insidiæ sunt in divitiarum amplitudine; insidiæ in paupertatis angustiis; illæ elevat ad superbiam; hæ incitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas: dum & illa materia est negligentia, & hæ causa tristitia. Laqueus est in securitate, laqueus est in timore. S. Leo l. 1. de Quadr. Multos habes hostes; multa tela accipe. S. Cyrill. Jerof. Præfat. in Catech.

§. VI.

*Tentationum remedia, & amuletâ.*

Num. 1.

*Caput pete; initium elide.*

*NE fortè moriamur.* Gen. 2. 13. Diabolus metuit, & fugit eos, qui viriliter primis ejus conaminibus resistunt. Quis eò audaciæ diabolus devenisse crederet; ut, dicente Domino primis parentibus: *in quocumque die comederis ex eo, morte morieris*; ipse sacrilegò ore dicat, *nequaquam moriemini*? Hugo à S. Vict. l. 1. Miscell. Dominus affirmavit; mulier dubitavit dicens: *ne fortè moriamur*. Daemón negavit: *nequaquam moriemini*. Si mulier non dubitasset, fortè diabolus non negasset: sed dedit audaciam, quæ inchoavit malitiam. Bæza t. 1. l. 3. c. 22. §. 26.

*Ipsa conteret caput tuum.* Gen. 3. 15. Tam facile conteritur caput serpentis, ut vel calce atteri possit; sed caudâ difficillimè. Job. 40. 12. *stringit caudam suam quasi cedrum*. Cum cedro componit caudam serpentis: quia inter arbores nulla magis procera, & imputribilis. Pinna Ethol. 211.

*Statim in foribus peccatum aderit.* Gen. 4. 7. S. Gregor. mor. l. 4. c. 22. in foribus peccatum adest, cum in cogitationibus pulsat. Hujus

jus appetitus subter est, eique homo dominatur; si cordis duritiâ aspectâ citius prematur; & priusquam in duritiâ crescat, reluctanti menti subigatur. Pinna Eth. 63.

*Posuit super tempus capitis ejus clavum* &c. Judic. 4. 21. Quare in capite quæsit vulneri locum? videlicet, quia peccati caput est ferendum. Caput prima suggestio est. S. Rupertus in l. Judic. c. 7.

*In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Pl. 100. 8. Postquam dixit, malorum se fugisse confortia, unde plerumque possunt evenire peccata; nunc ad mentis suæ interiora conversus, illam pestem tyrannicam, vastatricem generis humani, id est, pravam demonum suggestionem, quemadmodum de penetrabilibus suis expulerit, decenter exponit. In matutinis, in ipsis videlicet initiis; quando in nobis suggestiones diabolicæ, velut dubia crepuscula, cœperint apparere; tunc oratione debent ejici, tunc abominabilis execratione detrudis; paulatim noxiæ crescentes, velut dies nos nebulosissimam comprehendat. Cassiodorus hic.

*Veni, coronaberis de capite.* Cant. 4. 8. Quia ille, qui se initiò fortiter gessit, coronæ suæ præbuit auspiciam, Gilbertus f. 29. jure caput ipsum triumphans coronatur Dei capite: quia & tentationum initium conterit, & tribulationum vehementiæ non cedit. Bæza t. 1. l. 3. c. 22. §. 26.

Lupus fortis est in capite, & collo; extrema debilia. Tota vis diaboli est in principio tentationis. Si ei in principio resistitur, tum debilis est. Lupi illum videre priores. Gemin. l. 5. c. 39.

Num. 2.

*Alia remedia,*

*Ex Veteri.*

*Ecce familia mea infima est.* Judic. 6. 15. Gedeon, qui à facie Madian fugere statuerat, contra Madian mittitur. Is enim optimus est ad triumphum de scelere reportandum, qui minimum sibi fidit. Oliva l. 10. Strom. §. Apparuit ei Dominus.

*Gedeon dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas; ac lampades in medio lagenarum.* Judic. 7. 16. Gedeonis arripit arma Christiane, quem undique circumstant hostes. Perstrepat in auribus tuis Judicis supremi stupenda illa tuba: tartareis, æternisque, flammis accensæ in mente ardeant lampades: fracta corporis lagena ante oculos proponatur. Non Gedeone. sed Christo, Duce, vinces. Barradius t. 2. l. 7. c. 25.

*Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen.* 1. Reg. 17. 8. Hic invisibilem hostium contra homines rabies signatur; quorum hæc est quotidie vox, hoc studium; ut quemvis nostrum solum ad singulare provocent certamen. Infelix! qui solus accedit. Goltfridus in allegor. Tilmanni: nullus ex nobis animositate protervâ ineat hoc certamen: non est enim, qui ad hoc sufficiat. Non enim timet nos solos adversarius noster: idcirco fidenter provocat ad singulare certamen; sciens, quia

*va soli; qui cum ceciderit.* &c. Bæza t. 2. l. 12. c. 1. §. 7.

*Frustrâ jacitur rete ante oculos pennatorum.* Prov. 1. 17. Facile laqueos, qui in terra tenduntur, cavet, qui conversationem habet in cœlis. V. Beda hic.

*Indica mihi, ubi cubes in meridie?* Cant. 1. 6. Sicut pastores, à quibus hæc metaphora desumitur, in meridie, quando solis aestus valde urget, quærunt locum umbrosam, ubi se tueantur, & oves; nè lædantur à solis ardoribus: ita pia anima, tentationibus, ac persecutionibus, vexata, umbram divinæ protectionis petit. *Nè vagari incipiam* &c. timeo enim imbecillitatem meam. Quod si id non indicaveris mihi; fortè incipiam vagari, quærens alia loca quietia, & umbrosa, sodalium tuorum; te injuriâ afficiens, & me maculans. de Ponte hic l. 3. Exh. 1.

*Ex Novo.*

*Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus.* Matth. 14. 24. Nunc rursus Discipuli fluctuant, ac periclitantur; sicut & prius. Verùm tunc quidem, cum essent imperfectiores, aderat & ipse (Christus) ad consolationem; quanquam dormiebat: nunc verò, cum jam profecissent, aberat: ut nusquam habentes consolationem efficerentur fortiores. Theophylactus hic.

*Clamavit dicens: Salvum me fac.* Matth. 14. 30. In Petro communis omnium nostrum consideranda conditio est: ut si nos in aliquo tentationum ventus conatur subvertere, vel unda submergere; clamemus ad Christum. S. August. f. 14. de verb. Dom.

*Magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1. 46. Latet pro certo in cithara illa David mysterium: figura illa erat; hæc veritas. Hòc decachordò etiam nunc; cum devotè concinitur, iniquas cordis suggestiones propulsari, lubricas carnis tentationes emolliri, demones pessimos effugari, crediderim. Denariò versuum numerò completur, ut decachordì teneat veritatem. S. Thom. Vill. conc. de Cant. B. V.

*Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Joan. 8. 34. *Aquo quis superatus est, hujus & servus est.* 2. Petri 2. 19. Per aversionem à Deo, à diabolo superatur homo: non superaretur, si se teneret ad Deum. Insuperabilis est, qui sibi ex toto adhæret. Nemo subjeçtorum aggredereur militem ad latus Imperatoris conspectum existere. Sim. Cass. l. 11. c. 28.

*Ex Patribus, & aliis.*

Pacem cum Deo habentibus, ac semper Patri totò corde dicentibus, *fiat voluntas tua*; nulla prævalere certamina, nulli possunt nocere conflictus. S. Leo l. 6. in Nar. D.

Adversus diabolum, non vocis magnitudine, sed magnanimitate cordis, utendum est. Est tamen & vox cordis, quia & est vox sanguinis, quæ ad Deum pervenit. Clamat ergo cor nostrum, non sonò corporis, sed cogitationum sublimitate, concentuque virtutum. S. Ambros. f. 19. in Pl. 118. Clamavi in toto &c.

Cum

Cum malus ille dæmon videt animam de divinis rebus sollicitam, & perpetuò illas versantem; nè accedere quidem propius audeat, sed celeriter refilit, à spiritibus operatione, quasi à succenso rogo abactus. S. Chrysol. tom. I. hom. 14. in Gen.

Vitium momentaneum habet voluptatem, dolorem verò perpetuum: virtus contra laborem brevem; fructum verò cum hilaritate indefinentem. S. Chrysol. hom. de Anna.

Si nolumus à diabolo superari; inhæreamus illi, qui diabolum triumphavit. S. Maximus hom. 2. de jejun. Quadrag.

Quoties gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere; invoca Custodem tuum, Doctorem tuum, adjutorem tuum. S. Bernardus f. 12. in Pl qui habitat.

Cum infestis sunt adversarii; cum illis impares vestras feras vires; cum tirubare, formidare, & ipsorum suggestionibus inclinare, cœperitis: sine morâ currite ad petra foramina, ad vulnera Redemptoris. S. Laur. Just. l. de casto conn. c. 8.

Nullus sapientior, nullus cautior, apud Christianos respondendi modus contra diabolum; quidquid agganit, quidquid nectat; hæc una responsio sit fidelis anima: Christiana sum. Gerson tr. 8. sup. Magnif. O quam bene est custoditus, & armatus, contra diaboli insidias, & malas cogitationes; qui imaginem Crucifixi habet in corde fixam, omnia interiora sua penetrantem. Thom. Kemp. p. 2. f. 4. ad Novit.

Annua Soc. Jesu A. 1598 referunt, Bizontinum B. V. sodalem in agone contra peccatum luctantem, Jesum, & Mariam, invocasse; tandemque de diabolo tentante victorem, Crucem Jesu, velut victoriæ labarum, manu vibrasse, ac ter victoria! victoria! victoria! inclamasse.

Philomela evitat bubonem nocte insidiantem, ponendo se in arbore concava, vel inter spinas densas; ubi ille cum grosso capite intrare non potest: sic nos, ponendo cor intrâ crucem, vulnera, & spinas crucifixi. Broyard. Crux contra tentationes.

## §. VII.

## Tentationum varia species, &amp; circumstantiæ.

**Tres cunei.** 1. Reg. 13. 17. Tres cunei Philisthim idem sunt, quod tres turmæ Chaldaeorum. Job. 1. Unus cuneus pergit contra viam Ephra; quando scilicet diabolus tentat per avaritiam. Alius ingreditur per viam Bethoron, quæ interpretatur *domus magistri*; quando tentat de superbia, sive inani gloria: unde diabolus Dominum tentavit in pinnaculo templi. Matth. 4. ubi erat locus docendi. Tertius cuneus vertit se ad terram Sabaa sive Seboim, quæ interpretatur *captiva*; & significat carnem Hugo. Card. hic.

*Non timebis à timore nocturno &c.* Psal. 90. 5. Quatuor pravos spiritus numerat, qui omnium virtutum exercitiis insidiantur; maxime autem orationi. *Primus* vocatur *timor nocturnus*; qui est spiritus pusillanimitatis, accedens. *Polyanth. Sacra Tom. II.*

diæ, tædii; faciens timere, ubi non est timor. *Terra, quam lastravimus, devorat habitatores suos.* Num. 13. 33. Piger sibi leones fingit. Prov. 22. 13. *Secundus: sagitte volantis in die!* scilicet spiritus vanæ gloriæ, jastantiæ. *Pascit ventum, & sequitur æstum.*

Of. 12. 1. hoc est, pascitur, non veritatibus, sed vanitatibus; & sequitur æstum: quia luxuria finis superbiæ. *Tertius: negotium perambulans in tenebris*; qui est spiritus negotiationis terrena, & anxie sollicitudinis circa bonâ temporalia, honores, dignitates. Ab his se abstulit David, ut Deo vacaret. Pl. 70 15. *quoniam non cognovi literaturam*, seu, ut Sept. *negotiationem, - introibo in potentias Domini.* *Quartus: demonium meridianaum*; qui decipere intendit non tantum sub specie boni, sed majoris boni; inclinando ad contemplationem, quando obedientia, aut charitas, aliò vocat. de Ponte in Cant. 1. 12. Exh. 3. §. 4.

*Ut tentaretur à diabolo,* Matth. 4. 1. Tentavit diabolus Christum in deserto de calamitate; in templo de superbiæ vanitate; in monte de cupiditate. His tribus tentationibus adhuc impugnat Fideles quotidie &c. Significatæ sunt autem in leone, urso, & gigante. 1. Reg. 17. 34, quos occidit David. Per leonem superbia; per ursum, qui mel sequitur, concupiscentia; per gigantem, qui quasi insuperabilis videbatur, avaritia significatur: quia avaritia quasi insuperabilis est. S. Bonaventura f. 3. D. 1. Quadr.

*Vade Sathana scandalum es mihi.* Matth. 16. 23. Ut planum fiat; quòd majus bellum diabolus per hominem excitat; quam dum ipse per se apertè in pugnam descendit. S. Hilarius in Pl. 139. 2. omnes insidias, quascunque nobis spirituales nequitia prætendunt, maxime per homines aptantur: & occasiones vitiis nostris alienæ naturæ perversitas subministrat. Sylveira hic.

*Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.* Matth. 27. 34. Christo propinatus est triplex potus, myrrhæ, fellis, & aceti. Et significat hic Christi potus triplicem amaritudinem triplicis tentationis. Potus myrrhæ, est tentatio avaritiæ; quæ nimiam habet amaritudinem: potus fellis, est tentatio carnis; quæ sub specie dulcedinis, amaritudinem tenet mortiferam: potus aceti, est ambitio sæculi; quæ dentes stupefacere facit. Contra hunc potum triplicem mortiferum dedit nobis Dominus in Passione triplicem potum salutiferum. *Primum* in sudore sanguinis, contra æstum avaritiæ: *Aquam lateris*, contra ardorem carnis: *lacrymarum effusionem*, contra sæculi ambitionem, Hugo Card. in Sap. 11.

In omnibus, quæ secundum Deum operamur, tres nobis fovens dæmones parant. Ad primum quidem, bonum, uti nè fiat impedire conantur. Secundò verò; si in primo superati fuerint; ut non secundum Deum fiat, moliantur. Quòd si hac quoque intentione fures isti potiti non fuerint: tunc laudibus nos effe-runt, & beatos dicunt. Climacus gr. 26.

Est è Spiritibus unus, qui præcursor dicitur; qui nos è somno surgentes protinus excipit, primumque nostrum cogitatum inquinare nititur. Idem ibidem.

## §. VIII.

## Tentationum origo, &amp; qui iis obnoxij.

**I**nimicitias ponam &c. Gen. 3. 17. Quare ita dicitur? quia hinc manifestè ostenditur; non posse nos à diabolo tentari, nisi per illam animalem partem, quæ quasi mulieris imaginem, vel exemplum, in uno ipso homine ostendit. S. August. l. 2. de Gen. contra Manich. Habet in se unusquisque Adam, & Evam. Sicut enim in illa prima hominis transgressione suggestit serpens, delectata est Eva, consentit Adam: sic & quotidie fieri videmus; dum suggerit diabolus, delectatur Caro, consentit spiritus. S. Gregor. in 3. Pf. poenit.

Tum demum diabolus homini præcipuè infidari, & insultare, consuevit; quando illum solitarium, & quasi seorsum ab aliis positum, cernit. Victor Antioch. in Marci 1.

Ducitur in desertum: ut ostendat nobis, quòd diabolus tentet nos, quando viderit solitarios, & non ab aliis adjuvos. Oportet igitur nos non temerè fidere nobis ipsis. Theophylactus apud Naxera in Jos. 19. §. 28.

Finis tentationum, finis est cupiditatum: quia causæ tentationum, causæ cupiditatum sunt. Causæ autem cupiditatum sunt, carnis oblectatio,

species gloriæ, aviditas potentæ. S. Ambros. l. 4. c. 14. in Luc. 4. Et consummata omni tentatione.

## Miscellanea.

**Hortus conclusus.** Cant. 4. 12. Dicitur bis *hortus conclusus*: quia tentationes Mundi, & Carnis, non possunt intrare ad ipsam. Addit etiam, quòd est *fons signatus*: quia etiam tentationes diaboli non possunt ad eam ingredi. S. Thom. Aqu. hic Lect. 2.

Erras, erras, frater; si putas, unquam Christianum persecutionem non pati. Tunc maxime oppugnaris; si te oppugnari nescis. S. Hieron. tom. 3. ep. 1. Ad Heliodorum.

Nolite credere; nolite esse securi. Licet in modum stagni fufum æquor arideat; licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur: manos hic campus montes habet; intus inclusum est periculum, intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite; Crux antennæ figatur in frontibus. Tranquillitas ista tempestas est. Idem ibidem.

Omnium tentationum hæc periculosissima est; aut non tentari; aut nescire, se tentari: ignavia enim ut plurimum, vel insensibilitati, non tentari, adscribendum est. S. Laurentius Just. de casto connub. c. 7.

## TITULUS VI. TEPIDITAS.

## §. I.

## Labitur in pejus.

**H**ujus statua caput ex auro optimo erat; pectus autem, & brachia, de argento &c. Dan. 2. 32. Quæris lamentabilis hujus ruinae causam? in promptu est: aureus incepit iustus; nec opus erat, ut ab auro subitò in lutum declinaret: satis fuit, quòd in argentum proximum degenerasset. Scilicet post fervorem tepor, nisi statim respicias, nescit, nisi in lethale frigus degenerare, Ramirez in Apoc. 3. ep. 7.

**Vidit socrum ejus jacentem, & febricitantem.** Matth. 8. 14. Febris, mortale peccatum, præmittit frigus negligentia bonorum operum. S. Vinc. Ferr. l. 1. fer. 5. post Oculi. Febris ex frigore oritur, & desinit in calorem. Sic febris animæ, id est, peccatum, sæpe oritur ex negligentia, & tepore: inde enim cupiditas, ardor luxuriæ, gulæ, superbiæ, accenditur. Febris gustum vitiat; quia ipse pravò humore infectus est: sic febris animæ facit, ut res divinæ, conaciones, lectiones spirituales, colloquia pia, monita sancta, ei desipiant. Cornelius hic.

**Superseminavit Zizania,** Matth. 13. 25. Torporis tempore vitiorum seminantur sentes; & ex exercitationis intermissione coalescunt. Secum autem inspirationis præfocant germen;

quoties mens noxiò sopore deprimitur. S. Laurent. Just. in Solenn. S. Joan. Evang.

**Petrus verò sequebatur à longè.** Luc. 22. 54. Et bene à longè sequebatur, jam proximus negaturo: neque enim negare potuisset, si Christo proximus adhaesisset. S. Ambros. hic.

**Incipiam evomere.** Apoc. 3. 16. Notandum, quòd non dixit, evomam, sed *incipiam evomere*: quia, qui per teporem resolvitur, non subitò, nec ex tota gratia, deseritur, ut raptim ad malum relabatur. Sed gratià deferente; & ipsò primùm minima, deinde majora, contemne, paulatim succiditur; & gradatitudinem tibi dixit, *incipiam te evomere* &c. quia electi quique in fide, quasi cibus in stomacho per naturalem calorem decocti, per dilectionem membra Christi sunt per veram justificationem: & tepidi sine dilectione crudi evomuntur per reprobationem. Richardus à S. Vict. l. 1. h. c. 11.

Multi, postquam in ipsum ascenderunt cœli verticem; & omnem exhibuere tolerantiam; & in desertis morati sunt; nec in somnis quidem viderunt mulierem: quòd paulatim torpuerint; supplantati sunt & ad ipsum malitiæ barathrum devenerunt. S. Chrylost. hom. 77. ad pop. Antioch. tim à summis ad ima descendit; & tandem præcipitatur in ima ruit. Et pulchrè ad simi-

## §. II.

## §. II.

## Tepor pejor frigore.

**Quando verò caro vivens in eo apparuerit** &c. Levit. 13. 14. Lepram mundissimam eam vocat. si discurrens in cute operuerit omnem carnem à capite, usque ad pedes. **Quando verò caro vivens in eo apparuerit; tunc Sacerdotis iudiciò polluetur, & inter immundos reputabitur.** Mysticè: lepratortum corpus inficiens; peccatorem significat, omni peccatorum genere coopertum: si autem vivens sit caro, ita ut grana aliquot lepræ habeat; tepidum, & remissum, significat: qui ex parte mundam habet conscientiam, ex parte autem leprosam: tamen, quia vivens caro apparet, vivere sibi videtur; nec medicum vocat. Octavianus in Eccl. 2. 15.

**Benedicite ignis, & æstus, Domino-benedicite gelu, & frigus, Domino.** Dan. 3. 66. 69. Æstus, & hyems, in chorum vocantur; ut Deo psallant. Ver floribus renidens non inducitur. Quin & aurora à cœtu psallentium excluditur. Nimirum quæ in confinio virtutis, vitique sunt; ea cœlo non probantur. Mavult Abdênago frigus, quàm teporem: mavult æstum, quàm remissiozem anni partem autumnum. Tenebras audies concinentes cum pueris in fornace, non admisso crepusculò in odeum: **benedicite lux, & tenebre Domino.** v. 72. Olival. 6. Strom. §. benedicite ignis &c.

**In civitate peccatrix.** Luc. 7. 37. Magdalena tota resperis peccatorum leprâ; sed mundissima ex hoc iudicanda: quia cucurrit ad medicum, & sanitatem recepit. Cùm contrà Pharisæus, in quo vivens caro apparebat; quia elemosynas dabat, Christum ad convivium vocârat; medicinam à medico, quam domi habebat, non requirit; imò in medicum insurgit, ejusque facta suggillat. Octavianus antè citatus.

**Scio opera tua, quia neque frigidus &c.** Apoc. 3. 15. Nam, qui frigidi sunt, agnoscunt suam frigiditatem; qui nudi, suam nuditatem; qui infirmi, suas infirmitates; & remedia, ac medicos, accersunt: quod non agunt tepidi, & remissi. Idem ibidem. Tepor periculosior est frigore; tum ob majorem oblivionem, & socordiam; ex quo non advertit suum periculum, sed securus in eo quiescit, & obdormit: tum ob periculum derelictionis à Deo. Deus enim, qui est ignis consumens, sibi que vult à Seraphinis ministrari, hunc teporem odit. Cornelius hic.

Frequentèr vidimus de frigidis, & carnalibus; de secularibus, ac paganis, ad spiritualem pervenire fervorem; de tepidis omninò non videmus. Cassianus coll. c. 4. 19.

## §. III.

## Quis tepidus? quis frigidus?

**Neque frigidus es, neque calidus.** Apoc. 3. 15. Richardus à S. Viçt. Aretas, Ambrosius in Psal. 118., & Salvianus lib. 4. de provid. per calidum, intelligunt Christianum, igne bonorum operum ferventem: per frigidum Paganum, aut Infidelem, sinè fidei caliditate. *Polyanth. Sacra Tom. II.*

re: per tepidum verò, Christianum nomine, sinè operibus; seu Christianum in peccato viventem. Sylveira hic. Richardus à S. Viçt. tenet, frigidos esse hæreticos, calidos Catholicos, tepidos politicos; qui pro suis commodis omnium facies induunt; modò hæreticos, modò Catholicos, se simulant. Sylveira ibidem. Tepidus, meâ sententiâ, is dicitur, qui Deum quidem non audent lethali crimine offendere sciens, & volens; à perfectioris autem vitæ, & conscientie perfectioris, studio alienus est. Quare facile se propriis concupiscentiis permittit, & quavis peccata devorat; quæ sibi tantùm venialia videntur. Ac propterea se reputat justum; quòd sciens, & volens, peccatum mortale non admittat. Alcazar apud Ramirez in ep. 7.

## §. IV.

## Tepiditatem vitandi motiva alia.

**Non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest - ut comedamus, & moriamur.** 3. Reg. 17. 12. Aptius dixisset, ut comedamus, & vivamus: cibo enim vita extenditur. Sed, quia de parvo cibo agebat, maluit dicere, **ut comedamus, & moriamur:** est enim vicina morti tanta cibi parcitas. Bæza t. 3. l. 15. c. 6. §. 13.

**Ascendente eo in naviculam.** Matth. 8. 23. Tria sunt hic spiritualiter attendenda. Primum est animæ conversio; quæ designatur in ascensu naviculæ. Secundum est tentatio; quæ designatur in impetu procellæ. Tertium est animæ consolatio; quæ designatur in sedatione tempestatis. Christus obdormit; quando Christi amor, & memoria, tepescit in corde: nam in se non obdormivit. S. Bonaventura in Luc. 8.

**Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostra extinguuntur.** Matth. 25. 8. Cur inter oves Dei non referuntur Virgines illæ, quæ ardentes lampades habuere: non enim dicuntur proforsu exinctæ, nec penitus oleò evacuatæ: dicunt enim **extinguuntur.** Salvianus l. 2. ad Eccl. Cath. emuisse in eis quiddam luminis putò, cùm & ipsæ extinguendas facile lampades formidârint. Habebant profectò aliquid, quod verebantur extingui. Ex quo intelligimus, id, quod parum est, quasi nihil esse: quia nequam omninò prodest illico extinguendum lumen accendi: nec juvat aliquid illucescere, quod in ortu habeat occasum; & ad hoc tantùm habere initium viventis; ut possit finem habere morientis. Hoc verbum capiant Fideles; qui solum id gratiæ oleum sibi procurant, quò vel ad horam vivant; & luceant semel in anno, in die S. Paschæ. Semel etiam Sathanas in gratia vixit; sed, quia non abundavit, ut viveret; tota ejus vita pro nihilo fuit habita. De illo Is. 14. 12. **quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris.** Manè exortus fuit, & vitam, & lucem, in se ostendit; sed lucem solius auroræ, unius stellæ: ad perfectum diem non pervenit. Prov. 4. 18. **justorum semita, quasi lux splendens &c.** Bæza citatus.

**Surgite, eamus.** Marci 14. 42. Tepidas excitat suâ promptitudine mentes; & cognitâ voluntate paternâ, intrepidè se donat in pœnas. **Ecc e e 2 Sim.**

Sim. Cass. l. 13. c. 8. Surgamus omnes, vocante nos Christo; surgamus à torporis, & negligentiae, lectis: surgamus ab his, in quibus nos male jacere cognovimus: Surgamus ad Christiferas actiones. Id. ib.

*Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Joan. 10. 10. Non enim noscuntur oves Christi, nisi ex abundantia gratiae; ex abundantia ejus vita, quâ vivat anima. Idem ibidem.

Si duodecim homines, putâ Apostoli, totam ferè farinam orbis fermentarunt; animò versa, quanta sit nostra malignitas, & ignavia: qui cùm jam innumeri simus, has gentium reliquias convertere non possumus; qui vel Mundis mille satisfacere deberemus. S. Chrysof. hom. 47. in Matth.

Componamus nos ipsos undique: & quemadmodum super funem extensum ambulanti-bus non licet vel parum negligentibus esse: nam parum illud magnum illis malum genera-ret; mox enim subverti, deciderent, atque pe-rirent: ita neque nobis pigrescere licet. Viam enim incedimus angustam, & utrinque præci-pitiis obnoxiam, pedumque simul duorum non capacem. Vides, quâ nobis opus sit diligentia, S. Chrysof. hom. 10. in c. 5. Thessal.

Nè speret quisquam cælum, se cum vita remissa visurum: nequit enim fieri. S. Chrysof. hom. 10. in Thessal. c. 3.

Vereor, nè vestram desidiâ quandoque abominantes Angeli cum indignatione recedant; & incipiat unusquisque vestrum serò cum gemitu dicere Deo: *longè fecisti notos meos à me; posuerunt me abominationem sibi.* Pl. 87. 9. Item: *qui juxta me erant, de longè steterunt; & vim faciebant, qui querebant animam meam.* S. Bernardus l. 7. in Cant.

Da operam tu, qui gratiæ cœlestis factus es particeps; nè tepescat spiritus, obtenebrescat lumen, excutiatur flamma, mens deviet, reflectatur intentio, intermitatur opus, dormitet custodia, mutetur affectio, diminuatur gratia,

& proficiendi laxetur propositum, S. Laurent. Jul. f. in festo S. Lucae Ev.

Ego vidi multos usurarios, crudelissimos milites, meretrices, paganos, converti ad Dominum, & fieri bonos servos Dei: sed tremo; cùm nunquam viderim tepidum ad Deum converti. S. Bernardus tom. 4. Ser. 7.

Mors est stimulatix tepidorum; sicut nox appropinquans à viatoribus acediam fugat. Broymard Mors.

### Miscellanea.

*Charitatem tuam primam reliquisti.* Apoc. 24. Quis Episcopus, ad quem hæc epistola? Lyranus Ribera, tenent, non fuisse Timotheum Pauli discipulum: quia fuit vir Sanctissimus, hic autem Episcopus à Christo increpatur ut remissus in charitate. Tamen valde communis est sententia Viegæ, Alcazar, Pererii, Cornelii, &c. fuisse Timotheum; non obstante, quod scribitur illi: *primam &c.* id est, primum charitatis fervorem. Hæc est enim humana infirmitas; ut, etiam qui magnò spiritu ceperunt Deo servire, sensim de ejus conatu remittant. Sylveira hic.

*Hæc dicit: Amen.* Apoc. 3. 14. Omnis tepor in Dei obsequio oritur ex eo, quod homo non satis consideret, & aestimet, quis sit Deus? quæ? & quanta, sint ejus promissa, ac minæ? Cornelius hic.

Iis, qui sunt remissi, & imbecilli, id, quod est moderatum, videtur nimis intensum, & tonum excedere Clem. Alex. l. 2. Strom.

Sicut solertem virum, animò, & proposito, alacrem nulla res detinere potest; ita segnem, & remissum, hominem omnia possunt impedire. S. Chrysof. t. 6. orat. in SS. Petrum Ap. & Eliam Proph.

Vox multorum est: Sufficit mihi vita communis; si cum multis salvari potero, satis est. Nolo merita Apostolorum; nolo volare per summa: in cedere per planiora contentus sum. Gerfon. 3. p. tr. de myst. præf. industr.



TITULUS. VII.  
TERRA.

§. I.

In genere.

**T**erra autem erat inanis. Gen. 1. 2. Dicitur terra: quia teritur pedibus animalium; & est eorum solidum sustentaculum. S. Thom. Aqu. hic. Terra à terendo dicitur: & merito ex ea contritionis nostræ malum figuratur. Rich. à S. Vict. l. 2. de Emmanuele c. 26.

*Terra autem in æternum stat.* Ecclæ 1. 4. Thales iudicavit, ait Seneca l. 6 nat. quæst. c. 7., totam terram subjecto humore portari, innatare, & sustineri, velut aliquod grande navigium his aquis, quas premit. Plurimum fuit Philosophorum hic sensus. Horum opinionem secuti sunt S. Athanasius orat. contra idola, S. Clemens l. 8. recognit. S. Chrysost. in Pl. 133. S. Hilarius in Pl. 35. Eusebius in Pl. 23. Porro Anaximenes, ait Plutarchus, censuit, terram aere vectari, cui incumbit: idque verisimile innuunt S. Basilii, Ambrosii, Damasceni: qui id colligunt ex illo Job. 26. 7. *qui appendit terram super nihilum.* Verum utrumque confutat hic Salomon: tō enim *stat* significat, terram firmam consistere; & subsistere aquis, aeri, cœterisque elementis, velut basim, & centrum Univerſi. Cornelius hic.

Non fundamentis suis nixa subsistit, nec fulcris suis stabilis perseverat: sed Dominus statuit eam, & firmamentō voluntatis suæ continet: quia *in manu eius omnes fines terræ.* S. Ambrosius l. 1. hex. c. 6.

Terra ducit meatus fluminum; quibus pignora sua, quasi pia mater, plenis lactat uberibus. S. Ambrosii. ep. 42.

S. Anselmus in elucid. arbitratur, post diem iudicii terram totam, instar paradisi terrestriſ, floridam permanſuram: eō quod Corpus D. N. J. C. exceperit, ac portaverit; totque Sanctorum Martyrum sanguine irrigata fuerit: Doultreman de amore l. 4. Sect. 3.

Terra, secundum verioremententiam geographorum, continet in ambitu 19080. milliaria; profunditas usque ad centrum plus quam tria millia, Lessius de perfect. div. omnipotens.

§. II.

Terræ fertilitas.

**O**mnes reges irigintaunus. Jos. 12. 24. Notat S. Hieron. ep. ad Dardanum, terram promissionis in longitudine continere centum sexaginta millia passuum; sive centum sexaginta milliaria Italica: latitudinem sexaginta millium passuum. Ergo angustior erat Italiā, imō & Belgiō. Quare, tot in terra tam angusta dominari regulos; totque alios in ea superesse populos; arguit mirabilem olim fuisse soli illius ubertatem; meritoque vocari terram lacte, & melle, manantem. Cornelius hic.

Ager Damascenus, ubi asserunt Adam à Deo plasmatum, & hinc translatum in paradysum terrestrem: habet terram rubram, & mirè tractabilem; quam Saraceni transferunt in Ægyp-

tum, Indiam, Æthiopiā, carō vendentes. Habeturque famā constante, terram hanc talis esse virtutis, ut eam gestantibus nulla incommoda noceant: unde & aliqui abutuntur in varias superstitiones. Joan. Nieremb. l. de mir. nat. terræ promissa c. 17.

Rex Peruanus in una arce tantum habuit thesaurorum, ut ad deferendum modò aurum, & gemmas vix sexcenti elephantes, totidemque equi sufficerent. Taceo de argento, cœterisque metallis, tanquam de rebus nullius pretii. Nicolaus Pimenta de statu rei Christi. in India Orient.

§. III.

Terræ motus.

**T**erra mota est. Matth. 27. 51. Tota; ita ut totus terræ globus è centro suo convulsus, & concussus sit. Hinc etiam mare horrendis fluctibus insonuit, aestuavit, & exundavit. Porro non solum Jerosolymis, ait Baronius A. C. 34. n. 107. sed & in plerisque aliis orbis partibus, scissos montes eodem terræ motu, incolæ firmâ traditione testantur. Scissas tunc esse petras montis Alverniæ, revelavit Angelus S. Francisco ibidem oranti. Cornelius hic.

De motu terræ ita discurret Gabriel Vasquez in l. 2. t. 1. Disp. 18. c. 3. 11. 20. Notanda est doctrina Archimedis: terram, & omnia gravia, quæ ipsi terræ innituntur; ita efficere corpus unum, quod attinet ad gravitatem; ut ponderibus suis librentur. Terram autem, & cœtera gravia, quæ terræ innituntur, ita gravitate suâ tendere, & appetere conjungi centro individuo, magnitudinis totius Mundi; ut, quamvis alteri corpori gravi innitantur, & ab eo detineantur, ne penetrent, & conjungantur cum centro; suâ tamen gravitate perpetuò ad hoc contentur: ac proinde imprimant corpori sibi subjecto impetum, quò nitantur deorsum tendere, ac corpus sibi subjectum impellere, ut sibi ipsis cedat loco. Apud Cornelium in Ecclæ l. 4.

§. IV.

In terra ne habitet.

**L**iceat nobis transire per terram tuam. Num. 20. 17. Dicebant Israelitæ ad Edom. Sic Religiosi, ac spirituales viri, per terram solum transitum, non commorationem, petunt. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 6. Obs. 6. Felix talis transitor Mundi de habitantibus terram. Hugo Card. in Gen. 4. 31.

*Egre dietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ.* Is. 26. 21. Sed quod piaculum, homines sedem in terra habere? Minus intendit Judex, ait Procopius, quas non in advenas, sed in terræ habitatores, emittit: qui præsentis tantum sæculi voluptate delectati, ejus boni, quod futurum est, spe abjectâ, *edamus*, ajunt, & *bibamus*. Hinc tam tristes voces vo-

volantis aquilæ Apoc. 8. 13. *va! va! va!* *habitantibus in terra!* S. Ambros. hic: non omnes homines comprehendit: sunt enim in terris positi, quorum conversatio in cœlis est; sed eos, quos terrenæ conversationis affectus, & hujus sæculi gratia, vicerit. Velloso in Judith 1. Paræn. 4. *va! va! va!* Apoc. 8. 13. Ter dicit *va*, propter illa tria. 1. Jo. 2. 16. *omne, quod est in Mundo &c.* Hugo Card. in Gen. 12. 1.

*Surgite, & ite: quia non habetis hic requiem.* Mich. 2. 10. Jubemur, in nullis Mundi rebus putare nobis requiem; sed ad sublime tendere. S. Hieron. apud Escobar cit.

Ego terram calcare didici, non adorare: non est enim mihi fas unquam rebus inanimatis credere spes animæ. Clem. Alex. orat. adhort. ad Græcos.

## TITULUS VIII. TERRENA.

### §. I.

#### Symbola.

##### Ex Veteri, & Novo.

**D**ispersus est populus per omnem terram *Egypti ad colligendas paleas.* Ex. 5. 12. Quæ verò ad Salutem animarum, granum; quod melius est. Quod temporale est, palea est: cum sit transitorium. B. Humbertus f. 69. ad Studentes in Jure Canonico.

*Super flumina Babylonis-cum recordemur Sion.* Psa. 36. 1. Flumina Babylonis sunt omnia, quæ hic amantur, & transeunt. O Sancta Sion! ubi totum stas, & nihil fluit. Quis nos in illa præcipitavit? quare dimisimus Conditorum tuum, & Societatem tuam? Ecce in Babylonia pulchra sunt, quæ tenent, non te teneant, non decipiant. Aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum. S. August. hic.

*Si impiger fueris, veniet, ut fons, messis tua.* Prov. 6. 11. Fructus terreni, quos metimus, non fonti comparantur, sed cisternæ: quia ad tempus pascunt colligentem, & in tempore deficiunt. At qui impiger fuerit pro cœlestibus laborare divitiis, hujus messis ut fons adveniet. V. Beda hic.

*Meliora sunt ubera tua vino.* Cant. 1. 1. Ut indicet perpetuam durationem bonorum, quæ desiderat. S. Bernardus f. 9. in Cant. temporalia sunt instar vini ab uvis expressi, quod non amplius crescit; & uvæ manent aridæ, nec habent, quod denuò exprimatur. de Ponte hic Exh. 9. §. 2.

*Me dereliquerunt &c.* Jer. 2. 13. Verè cisterna dissipata honor; cisterna perforata voluptas, divitiæ, & omnis prosperitas Mundialis. Non valet aquam continere: triduo placet, & statim evanescit omnis illa consolatio; & fastiditur, & displicet. S. Thom. Vill. f. D. 3. Quadr.

*Erat in proximo dies festus Judæorum, scenopegia.* Joan. 7. 2. quod est, *fixo umbrarum*, seu tabernaculorum. Umbra longior est vespere: si amor temporalium, sole gratiæ occidente, crescit: vel quia cupiditas major est in senili ætate. Et nota: quòd umbræ illæ ad literam siebant de falicibus instructuosis; per quas bene significantur temporalia. Hugo Card. hic.

*Mittite in dexteram navigii rete.* Joan. 21. 6. Illi mittunt rete, & piscantur ad sinistram; qui, quidquid faciunt, faciunt ad haben-

dum temporalia, ut divitiis, honores, & dignitates. Sylveira c. 6. hic.

##### Ex Patribus, & alijs.

Quid sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta: qui ergo contra diabolum ad certamen properat; vestimenta abijicit, nè succumbat. S. Gregor. hom. 32. in Evang.

Dulcedo hujus sæculi ad tempus fauces indulat; sed in magnam postea amaritudinem convertetur. S. August. in Pf. 123.

Omne studium hominum, quod versatur in iis, quæ ad vitam pertinent, est planè puerorum ludus in arena. Nam simul atque à labore cessatum est, simul arena collapsa; nullum relinquit vestigium eorum, quæ fuerunt elaborata. Hæc est humana vita: Arena est ambitio, arena est potentia, arena divitiæ; arena est, quidquid ex iis, in quibus magnò studio per carnem fruimur. S. Gregorius Nyss. hom. 1. in Ecclesiasten.

Propterea luctatores pulverem adversariis conantur aspergere; ut olei levitatem injectu pulveris exasperent; atque ita facilius eos apprehendere valeant. Jam quod illic est pulvis, id in nostro certamine, est terrenis in rebus occupatio. Et quod illic est oleum, hic est quietis studium ab omni sollicitudine vacuum. S. Nilus lib. Ascet.

Per capillos sæpe bona terrena solent intelligi: quod figuratur in tonsura Ecclesiastica. Unde & Levitæ tempore oblationis suæ raserunt omnes pilos carnis suæ. Blesensis serm. 4. de B. Lucia.

### §. II.

#### Terrena spernentium Symbola, Sunt Aquilæ.

**A**quila in arduis ponet nidum suum. Job. 39. 27. In arduis habet nidum, qui in supernis figit consilium; non vult mentem in ima dejicere, non in infimis habitare. Diez Contemplatio.

*Qui sperant in Domino-assument pennas sicut aquila.* Eccl. 12. 40. 31. Aquila, si quando in terram descendit vultus causâ, statim iterum advolat in sublime. Locusta autem, vix facit unum volatum; cum statim iterum in terram decidit. Sic contemplantur cœlestia justus, & peccator. Diez D. 2. Quadr.

Vani, & fatui, remisso, & languente, volatu (qui muscarum instar res hujus vitæ tenues, & exiles, circumlambunt) implicantur, & illi-

gan-

gantur, quasi retibus quibusdam: deliciis, inquam, honoribus, gloria, variisque cupiditatibus, velut quibusdam araneorum texturis, involvuntur: praeda, & efca, facti illi fera, quae per hac talia venationem illicituere solet. At si quis aquilae naturam praeditus, acutiore ad lucis radios intentum mentis oculum convertens, seque ipsam in altum vibrans, in hujusmodi araneorum telas incidit; solam auram, & impulsu perniciosi volatus, soloque alarum impetu, quidquid occurrit, dissipat, & disijcit, S. Gregor. Nyss. tr. in Psalmos c. 8.

Maximilianus II. pinxit in Symbolo Aquilam in nubibus volantem; humi vero coronam, gladium, hastam, Mundum, cum lemmate: Nil humana moror, dum super alia feror, Cauffinus l. 6. Symb. 20.

Aquila. Lem: *Nec obscura, nec ima*. Justorum animae Aquilis comparantur; quod alta petant, humilia derelinquant. S. Ambrosius l. 3. in Luc. Picinelli.

### Alia Symbola.

#### Ex Veteri.

*Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Gen. 1. 6. Sicut firmamentum caelum appellatum est, ex eo, quod dividat inter eas aquas, quae super ipsum; & eas, quae sub ipso, sunt: ita & homo, qui in corpore positus est; si dividere poterit, & discernere, quae aquae sunt superiores super firmamentum, & quae sub firmamento, & quae sub firmamento sunt; etiam ipse caelum, id est, celestis homo, appellatur. Origenes. hom. 1. hic.

*Producat terra jumenta, & reptilia, & bestias terrae.* Gen. 1. 24. Per quae significantur illa tria 1. Joan. 2. 16. *omne, quod est in Mundo &c.* Haec tria de terra oriuntur: quia de amore terrenorum universa malitia ortum habet. Per reptile significantur cupidi, qui circa terram repunt: per jumenta luxuriosi: per bestias superbi. Hugo Card. hic.

*Cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est.* Gen. 8. 9. Vide, quomodo te pungat Deus; quocumque te extra eum extenderit per concupiscentiam in creaturis; tanquam nutrix pueri brachium extra cunas, ne pereat frigore. Propitius tibi sit Deus; ne inveniat, ubi requiescat pes mentis tuae: ut saltem coacta, o anima! redeas ad arcem; sicut columba Noë. Guigo confid. de tranquill. animi c. 14.

*Ascendebat ad tonsoras ovium suarum.* Gen. 38. 12. Vellera sine laesione tolluntur ab ovibus; sic temporalia à viris Sanctis sine omni dolore, & tristitia, tolluntur, Hugo Card. hic.

*Solve calceamentum de pedibus tuis.* Ex. 3. 5. Illa Moyse deposita calceamenta hoc significant: quia nullus dignè Deum videre potest; nisi qui cuncta terrena, & mortalia vitia, de-

ponunt. V. Beda hic. Quare Moyses justus est calceamentum solvere? ut sollicitudines faculares abiceret huic mortali vitae adherentes. Theodoretus q. 7.

*Et venit musca gravissima in domos Pharaonis.* Ex. 8. 24. Israelitica anima Sabbathizat; dum, remota à negotiorum saecularium strepitu, lectionibus, & orationibus, vacat. Aegyptiaca vero muscarum ingruentium infestatione percellitur, dum terrenorum actuum inquietudine delectatur. Quid est enim in hac vita laboriosius, quam terrenis desideriis aestuare? quid quietius? atque suavius? quam hujus saeculi nihil prorsus appetere. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 5. Christiano spirituale Sabbatum agere, est, à laboriosa rerum temporalium cupiditate quiescere: solis orationum, & lectionum, studii insudare; saecularium negotiorum pondus de mentis cervice projicere; ad contemplanda caelestia tota cordis intentione vacare; carnis oblectamenta contemnere; de sola spe caelestium spirituali jucunditate gaudere. In eorum Sabbatum Domino veraciter celebrat; quae ab his, quae mundi sunt, operibus vacat; ut à spiritualibus tamen actibus non quiescat. Idem l. 4. ep. 16.

*Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea: desperavi nequaquam; ultra jam vivam.* Job. 7. 15. q. d. suspensus sum à terrenis, mortuus Mundo: jam non habeo spem in terrenis; ultra non revertar ad Mundum, nec mente, nec opere, Hugo Card. in Gen. 31.

*Sicut liliam inter spinas.* Cant. 2. 2. Sola illa anima lili candorem habet, quae necessarius tantum vitae contenta, ad caelestem pulchritudinem, candore animi, & corporis munditia, aspirat, Philo Carpathius hic.

*In lectulo meo per noctes quaesivi, quem diligit anima mea.* Cant. 3. 1. Anima, quae Deum quaerit, & ad Dei dilectionem, & cognitionem, plenius pertingere cupit; in lectulo hunc quaerere debet, id est, in quiete mentis. Vacare enim debet, & quiescere ab occupatione, rerum terrenarum. Richardus à S. Vict. in Cantica c. 1. Bona nox, quae prudenti oblivione dissimulat omnia temporalia; ad illum, qui aeternus est, quaerendum, tempus expediens, & explicans occasiones. Gilbertus l. 1. in Cant.

*Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani.* Cant. 3. 9. Cur non de arboribus? ligna jam nullum terrenum sugunt succum. Anima à terrenis separata, est sedes Dei. Incerto autore.

*Capilli tui sicut greges caprarum &c.* Cant. 4. 1. Graciles, & spiritualibus extenuati disciplinis, pene sine corpore sunt, & penitus sine carne; ad omnem insensibiles injuriam: ut nec tondentis instrumenti sentiant laesionem; in hoc tantum sustententes passionis molestias, si à capite, cui inhaeserunt, contingat evelli. Reliquo enim emortuo corpore, vitalem ibi tantum sensum retinent; tibi capiti, de quo oriuntur;

tur, junguntur. Gilbertus f. 23. in Cant. Hoc ergo magnum sponsæ elogium: abhorretere solium à capite suo Christo separari; cœtera despiciere. Naxera in Jos. 17. §. 12.

*Statura tua assimilata est palma.* Cant. 7. 7. Sicut palma, teste Plinio l. 13. c. 4. frugifera non est, nisi in solido fervido, nitroso, aut salso; ideoque videtur proceritate suâ terram despiciere, & cœlum appetere, ac rectâ eò conscendere, vixque humi radicibus niti: quia ibi nihil invenit, nisi insulsum. Sic & viri Sancti mentem habent defixam in cœlo: ideoque terrena illis omnia desipiunt; ac Crucem Christi amant, in eaque radices agunt, nutriuntur; & crescunt usque ad cœlum; ad quod anhelant. Cornelius hic.

*Populus meus pendebit ad reditum meum.* Of. 11. 7. Pulchrè anima, & propriè pendebit, tanquam inter cœlum, & terram: ut, licet adhuc apprehendere cœlestia non valeat, non velit tamen tangere terrena. Et si aliquando tangit, non nisi summis articulis, id est, extremis partibus animæ: propter necessitatem scilicet corruptionis nostræ? cui cogimur fervire. Guarrius f. 1. de Adv. Dom.

Lepus. Lem: *Ascensu levior. Lapides Sancti elevabuntur super terram.* Zach. 9. 16. Lapides sancti voluntur super terram, instar rotarum, paululum tangentes humum; & volubilitate suâ ad cœlestia festinantes. S. Hieron. Picinelli.

#### Ex Novo, Patribus, & aliis.

*Filij tonitru.* Marci 3. 17. Esto filius tonitru. Dices: quomodo possum esse filius tonitru? Potes esse: si non in terra, sed pectore Christi, recumbas. Potes esse filius tonitru; si terrena non moveant; sed ipse potius ea, quæ terrena sunt, mentis tuæ virtute concutias. Tremat te terra, non capiat: vereatur caro potestatem animi tui, & concussa subdatur. S. Ambros. l. 7. c. 40. in Luc.

*Sedebat supra fontem.* Joan. 4. 6. Si interdum quiescere volumus, sedeamus super fontem. Fons iste, sive puteus, abundantia est, & profunditas terrenorum. Fons iste emanatio est delectationum; fons iste profunditas naturalium, & humanarum, scientiarum. Super quem fontem oportet super sedere, non subjacere. Non subjiciatur defectibilibus amor: non enim quiescet subactus, atque ageratus calcariibus, equus; super sedens verò quiescit, aut fertur. Aut res nos deserunt, aut ipsas deserimus. Si deserunt, in adjutorio sunt: deserimus; corpora, & corda, gravant. Sim. Cass. l. 4. c. 9.

*Luna sub pedibus ejus.* Apoc. 12. 1. Hoc dici potuit de prima Ecclesia; dum ad pedes Apostolorum jacebant tota patrimonia Fidelium. Nè nunc Planeta ille, Symbolum terrenorum, ascendat in caput; nec divexet tyranni instar cogitationes Præsulum, & affectiones animi. Apostolico Sæculo curæ postremæ

erant de patrimonio: hodie primariæ convertuntur circa reditus, & dominia Oliva t. 2. conc. 19. die Ven. 6. in Quadr. *Luna sub pedibus*, id est, temporalium bonorum claritas sub administratione ejus. S. Rupertus l. 2. comment. in Apoc. Hoc ergo laudi est SS. Patribus, quod divites quidem fuerunt, sicut sacre historię tradunt; sed ipsas divitiis non passi sunt affectibus dominari: sed ipsi dominati sunt divitiis, dispensando; ut posebat usus privatus, ac publicus. Arcones in ll. 1. Disc. 2. *Luna sub pedibus*, id est, mutabilitas bonorum temporalium in contemptu ejus. S. Rupertus de oper. Spir. S. c. 14. Habet Ecclesia lunam sub pedibus: quoniam cuncta terrena, & transitoria, & mutabilia, despiciens, & pro nihilo ducens; sola cœlestia concupiscit. S. Euseb. Emis. D. 3. Pasch.

Rota modicò quòdam vestigiò stat in terra; & non solum stat, sed quasi percurrit: non stat, sed tangit, & præterit: denique, cum voluitur, ad altiora transcendit. Ità & sanctus vir, quoniam in corpore est, necessitatem habet, aliqua de terrenis cogitare: & quando venerit ad victum, & vestitum; his contentus est; & tangens terram ad altiora festinat. S. Hieron. in Ps. 76.

Corporalis saltus est, totum corpus à terra suspendere: spiritualis saltus; spiritum, & totum, quod spiritus est, à terrenis alienare. Corporalis saltus est, terræ tactum usquequaque deferere, & totius corporis membra per inane librare: spiritualis saltus est; mente excedere, &, infimis in imò relictis, in invisibilium contentatione totum transire. Richardus à S. Vict. in l. 113.

Attende, quàm sit omnino, & cum omni admiratione, stupendum: quòd corpus de terra sumptum, terram ad tempus datò saltu deferere, & supra semetipsum ire: spiritus verò spiritualis, & incorporea natura, à corporeis, & terrenis, vel ad modicum separari non potest. Idem ibidem.

Aves paradisi rerum terrenarum despicientiam nos docent; hæ quippe, si Gesnero, Aldrovando, aliisque, fides, in terra, nisi mortuæ, non videntur; nec corruptioni obnoxie sunt. Doultreman l. 1. c. 2. Sect. 5.

#### §. III.

#### Terrena spernendi motiva.

Num. 1.

#### Nobilitas hominis, Sancta superbia.

#### Ex Veteri, & Novo.

*Ferebatur super aquas.* Gen. 1. 2. Ad id rationalem creaturam compellans; nè rebus, quibus ipsa nobilior, imò domina, constituta, velit malè subjici per amorem. Consequit enim amor hominem subjici rebus, quas diligit; qui soli Deo debet esse subjectus. Sim. Cass. l. 5. c. 1.

Filii

*Filiis hominum - ut quid diligitis vanitatem?* Pl. 4. 3. Septuag. *usquequo incliti mei ignominiose diligitis vanitatem?* Chaldaeus: *usquequo honor meus ad vituperium?* Aquila & Symmachus: *usquequo gloriosi mei, seu gloria mea?* Vatablus: *usquequo potentes, ac principes?* Quò magis extollitur dignitas, eò magis exaggeratur iniquitas. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 6. Sect. 3.

*Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Matth. 4. 6. O quàm stulta hæc suasio! nimiumque perversa; quod utique si faceret Dominus, verè illum Dei esse Filium comprobaret. Sed inimicus cœli, nè tentando quidem ascensum vult suadere cœlestem; deorsum, & in ima, provocat: quia optat omnes cadere, qui se sentit præ omnibus cecidisse. S. Maximus hom. 2. de jejuniis Quadrage. Qui se Dei filium credit; actu, vitâ, moribus, honestate, tanto generi respondeat; ne iterum ad terrena descendens ad ipsam tanti Genitoris tendat injuriam. S. Chrysol. f. 68.

*Nolite timere pusillus grex? &c.* adjecit, quid faciendum sit regnatoris: *vendite, que possidetis &c.* Luc. 12. 32. 33. Non potest dominari omnibus, nisi is, qui propriis non tenetur. Dejectæ mentis est, qui familiaris rei meminit, cum vocatur ad regnum. Jacens animus plebejus nummulum thesauris, regalibus anteponebat. S. Chrysol. serm. 22.

*Misit illum in villam.* Luc. 15. 15. Cum homo recedit ab urbanitate cœlesti, merito villanus in terrenis efficitur. Sim. Cass. 1. 6. c. 16.

#### Ex Patribus, & aliis.

Magni, & excelsi animi est despiciere, & calcare, mortalia. Lactantius 1. 6. inquit. div.

Ipsi sibi renuntiant, seque hominum nomine abdicant; qui non sursum aspiciunt, sed deorsum: nisi fortè, ad ipsum, quòd recti sumus, sine causâ homini attributum putant. Spectare nos cœlum Deus voluit; utique non frustra. Idem 1. 2. div. inquit.

Dejicit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest. S. Cyprianus 1. de spectaculis.

Mox, atque dixisti, *Pater noster, qui es in cœlis.* Matth. 6. 9. excitavit te hoc verbum, & mentem tuam alacrem reddidit; ostenditque te habere Patrem in cœlis; nè facias, quidquam, nec dicas, eorum, quæ sunt super terram. In ordinem illum supernam constituit te, & choro illi cœlesti adjudicavit: quid te ipsum ad ima dejicias? S. Chrysol. f. 14. in c. 4. ad Ephes.

Agnosce ô Christiane dignitatem tuam; & divinæ confors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento, cujus capitis, & cujus corporis, sis, membrum. S. Leo f. 1. in Nat. Dom.

Homo! quid commune cum terris tibi, qui confiteris, tibi genus esse de cœlis? Ergo cœlestem vitam monstra in habitatione terrena: quia, si quid in te gererit terrena cogitatio, *Polyanth. Sacr. Tom. II.*

cœlo maculam, cœlesti generi injuriam, iactulisti. S. Chrysol. f. 71.

Quis de victu, quis de vestitutu, quis de plebejo censu, & vernalis cœspitis vilitate, suspirat de regno certus? de dominatione securus? Satis sibi invidet, qui, elevatus ad summa, ipse se ad humiliora dejicit, ad egena deponit. Quid cum terra illi, qui possidet cœlum? quid illi cum humanis, qui adeptus est jam Divina? S. Chrysol. f. 25.

Superbiat, ô pauperes! superbiat, ô humiles! anima vestra glorians in humilitate sua; omnemque altitudinem hujus Mundi longè, sub pedibus jacentem despiciat; indignumque judicet gloriæ suæ, ad concupiscentiam vilis prædæ suam ulterius majestatem inclinare. Quid? jam jam tollenda es in cœlum; & nunc te demum mereres in cœnum? Te prætolatur, Curia Sanctorum; & præponeres societatem demoniorum? Guaricus serm. in solem. OO. SS.

Nihil rectè æstimat, qui seipsum ignorat. Nescit, quòd sub pedibus suis omnis mundana gloria jaceat; qui conditionis suæ dignitatem non pensat. Nescit omnino, nescit; quid de spiritu angelico, quid de spiritu divino, sentire debeat; qui spiritum suum prius non cogitat. Richardus à S. Vict. 1. 3. de arc. myst. c. 6.

Si audieris, *Pater noster*, arripe generosum-nobilemque, contemptum omnis feæda rusticitatis tu, qui tam Regiò Patre gloriaris. Displiceat tibi atque gemas exilium; cui cœlestis hereditas filiationis titulo, cujus Pater in cœlis est, reservatur. Gerlon. de myst. Theol. confid. 5.

*Ponam te in superbiam seculorum.* Isa. 60. 15. ait Dominus de Jerusalem nova. Assumat utinam! mens nostri cordis hanc superbiam; ut nulli dignetur intendere, nulli juagi, nulli inhære; nisi uni soli, quod est necessarium, optimum, æternum & summum. Idem tr. 7. sup. Magnif.

Indignum planè omnino & absurdum est; ut prænobilis anima, deputata sponsi cœlestis amplectibus; oblita suæ originis; & illius, cujus imago est; ad mechanicos rapiatur affectus. Blesensis ep. 138.

Similes sumus iis rusticis, qui, nihil civile unquam experti, si fortè in urbem introducantur, jubeanturque; principis alicujus mensæ adstare, aut etiam inter primates versari, atque honesto inter eos loco esse; facile ista reculent; nihilque illis longius videatur: quàm ut inde recedant, atque ad rustica negotia revertantur. Simillimè nos cœlestem Rempubliam negligentes, terrenarum harum rerum duntaxat rusticitatem sectamur. Isidorus Clarius orat. 6. de S. Steph.

Sit in te Sancta quedam superbia, quæ magni facias in te, quod decet; agnoscendo tuam nobilitatem. Ama res nobiles, id est, spirituales; juxta nobilitatem, quam indidit DEUS cordi tuo generoso; cum te creavit ad imaginem, & similitudinem, suam. Gloria major lilio, quàm Salomoni: Regina tamen Saba hanc non illam, est admirata: in veste picta vides hominum manus; in lilio manum Dei. Stella de cont. Pl. 1. c. 44.

Fff ff

Sicu

Sicut ex parte corporis humiles esse debemus; terra enim fumus ita considerata anima excellentia, quadam sancta in nobis debet esse arrogantia; & spernere terrena, quæ sunt indigna anima. Idem in Luc. 2.

Ludovicus XIII. Gall. Rex, adolescens perquam addictus vixit avibus: sed ut primum regnum aggressus est, has à suis curis in libertatem remisit, dicens: jam aliquid supra aves cogitandum est. Masen. l. 2. argut.

Num. 2.

*Terrena etiam malis obveniunt.*

*Det tibi Deus de rore cæli.* Gen. 27. 28. id est, spiritualium abundantiam. *Et de pinguedine terræ,* id est, temporalium affluentiam. Esau post dicitur: *det tibi Deus de pinguedine terræ;* quam principi paliter affectabat. Hugo. Card. hinc.

Esau, quem Dominus reprobaverat, incedebat cum *quadringentis viris.* Gen. 33. 31. Jacob in baculo suo transeunte Jordanem Gen. 32. 10. Malo pauca cum puritate conscientia, quam dignitates innumeras cum verme, qui non moritur, possidere. Blesensis ep. 20.

Negantur Electis in hac vita bona terrena quia & agris, quibus spes vivendi est, nequam à Medico cuncta, quæ appetunt, conceduntur. Dantur autem reprobis bona, quæ in hac vita appetunt: quia & desperatis agris omne, quod desiderant, non negatur. S. Gregor. moral. l. 21. c. 4.

Temporalia bona sunt quasi ossa convivi paradisi in Mundum mista. Sæpe enim malis divitiibus, & magnis hominibus quasi canibus, projecta. Et tamen, sicut canis non daret os, quod rodit, pro Imperio, vel Papatu; sic impius dives non daret bona temporalia pro tota gloria sempiterna. S. Bernardinus t. 1. f. 22.

Universa creaturæ, micæ, seu fragmenta quadam, sunt; quæ ex mensa Dei ceciderunt. Unde merito canis appellatur, qui creaturis pascitur, Pl. 58. 15. *famem patientur ut canes.* Ex. operib. myst. V. P. F. Joannis à Cruce, lib. cui tit. ascensus mentis Carmeli c. 6.

B. Angela de Fulgino dicere solebat: temporalia bona, fortunas, honores, esse panis micæ, quæ cadunt de mensa Domini: Cruces verò esse delicatos opipari convivi bolos; qui & fortibus Dei intimis apponuntur. Ex libello, cui titulus, solus Deus, Auth. Boudon.

Vide. Divitiæ Prosperitas.

Num. 3.

*Terrenis semper aliquid deest.*

*Ex Veteri.*

*Inimici ejus terram lingunt.* Psal. 71. 9. quia peccatores, divina suavitate fonte spretò, terram voluptatis lingunt ut canes jus supra terram effusum. O cæci, nonne orbis terrarum & quidquid in eo est voluptatis, gaudii, & honoris, *tantum momentum stateræ coram Deo est.* Sap. 11. 23. Quid ergo lingitis terram stulti? cur non magis ad Deum, fontem aquæ vivæ,

acceditis? Amatores terrenorum dicuntur lingere momentanea, quia non inveniunt in eis, undè fatientur. Nunquid lingendo panem, aut aliquem cibum, potest quis satiari? Diez. Desideria Sancta.

*Vanitas vanitatum!* Ecclesiast. 1. 2. Quæres: quæ, & quot, in Mundo, rebûsq; omnibus creatis, sint vanitates? Resp. esse multas, & pene innumeras; sed illustriores sunt duodecim, contrarias totidem veritatibus, verisq; bonis in Deo, & cælo, existentibus; quæ inspectores movent ad sui contemptum, & Dei amorem. *Prima est exquisitas:* quòd omnis creatura, & creata voluptas, sit modica. Omnis enim creatura modicum esse accipit à Deo, ac consequenter modicum boni: nec ulla creatura se totam homini communicat; sed juxta suas qualitates: hæ gustum, illæ visum, &c. recreant. Huic opponitur *immensitas Dei,* omniumque ejus bonorum. Sperne ergo delicias modicas, & fruere Deò, qui est mare deliciarum. Sperne opes terræ modicas, & cape regnum cælorum. *Secunda est vilitas:* quia omnis creata voluptas, præsertim carnalis, terrea est, vilis, sordida, indigna creaturæ rationali. Cum in creata, quæ est in Deo, sit cælestis, sublimis, angelica, & divina. Amas aurum, & argentum? Scis, quid amas? amas terram rubram, & albam, ait S. Bernardus. Amas purpuram, byssum, & margaritas? Scis, quid ames? amas excrementa piscium, concharum, & vermium. Amas lautas meas? Scis, quid ames? amas cadavera porcorum, vitulorum, anserum, &c. Amas puellam? saccum stercoreum amas. *Tertia est insatiabilitas.* Divina mentem satiant, & explent omne hominis desiderium. *Quarta est Brevitas.* Divina perpetua, & æterna. *Quinta est Instabilitas:* quòd omnis creata voluptas sit fluxa, nec habeat consistentiam; sed consistat in continuo motu, & fluxu. Divina verò semper in eodem statu permanet. Venaris opes, delicias, gloriam? venaris ventos, insequeris umbram, ædificas in arena. *Sexta est falsitas:* quòd nulla creata voluptas sit sincera, pura, mera, & liquida; sed multis molestiis, doloribus, & amaritudinibus, permixta. In Deo est purum meritumque, gaudium; mel sine felle, vinum sine aqua. *Septima est insensibilitas:* quòd omnis creata voluptas animam non pervadat; imò in se non attingat; sed tantum corpus, sensusq; afficiat; & per eos animam obiter perstringat. Divina verò voluptas ipsam animam occupat, pervadit, & replet. *Octava est infidelitas:* quòd omnis creatura infidelis sit; sæpeque spem, quam promittit, non præstat. Deus autem fidelissimus est; imò sæpe plus dat, quam promittit. *Nona est incertitudo:* quòd omnis creaturæ voluptas sit incerta. Quam sunt divitiæ incertæ, quæ à fure rapi, incendio comburi, à mari hauriri possunt! Quam sunt honores incerti! tam incerti, quam homines, hominumque voluptates à quibus pendunt. At divina voluptas, divitiæ certissima, *quod fur non appropriat.* Sc. *Decima est fallacia:* nam omnis creatura separabilis est; sæpeq; post unum

unum annum, mensem, vel diem; & semper in morte ab amante separatur, eumq; deserit. At divina inseparabilis est: beati enim in cœlo nunquam à summo bono suaque beatitudine, separari possunt. *Undecima est infirmitas*: quia omnis creata voluptas infirma est. Amas mulierem pulchram? morbô ecce corripitur, deflorescit, fit turpis, abominabilis. Amas Deum? incorruptibilis est, immortalis. *Duodecima est pernicies*: creata enim voluptas noxia est; ducitque ad dolores, presentes, & æternos. At voluptas divina est utilissima; ducitque ad gaudia sempiterna. Cornelius hic.

*Ut comedat ex eis, & fruatur parte sua.* Eccl. 5. 18. Nota: *parte sua*; quasi nihil integrum liceat homini accipere ex creatura. Baeza t. 1. l. 3. c. 8. §. 3.

*Hujus statua caput ex auro &c.* Dan. 2. 32. Omnia Mundi regna aerea, argentea, ærea, congesta; ut compleant vel unam hominis statuam: nec complent tandem; nec omnibus his integratur natura humana; nisi suppleta pulvere defectum metalli. Idem t. 1. l. 1. c. 7. §. 32.

### EX NOVO.

*Etiã Domine nam & catelli edunt de micis.* Matth. 15. 27. Chananea bonum creatum petebat; solam scilicet filie sanitatem. q. d. ait S. Hieron. scio, me filiorum panem non mereri; nec integros capere posse cibos: sed contenta sum reliquis calulorum. Baeza t. 1. l. 3. c. 8. §. 3.

*Benedixit, ac fregit.* Matth. 26. 26. Vides panem frangi à Domino. Quod ad creaturam panis pertinet, traditur divinum; qui ibi latet Christus, non contractus, non divisus, integer accipitur. Hoc sibi amoris deberi ab hominibus voluit Dominus, quod inter omnia bona ipse solus totus, & integer, tradatur nobis. Idem ibidem.

*Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem.* Luc. 12. 13. Respondit: *quis me constituit judicem, aut divisorem, super vos?* Petebat ille dimidiam in terra hereditatem; in cœlo Dominus offerebat totam. S. August. s. 196. de temp. Non venit dividere; sed unire. Sim. Cass.

*Pater, da mihi portionem substantia.* Luc. 15. 12. Non petit totam hereditatem, sed portionem, seu partem: in bonis enim Mundi nihil plenum; sed totum divisum. Sylveira hic. Postulat partem, qui totum habebat in toto: & pars deficiet, cum separatur à toto; velut rivus à fonte, velut ramus ab arbore, & velut radius à sole, præcisus. Sim. Cass. l. 6. c. 14.

*Intingat extremum digiti.* Luc. 16. 24. Petit epulo extremum digiti, non manum: quia hoc ex bonis didicerat creatis; nihil integrum extra Deum posse hominibus dari. Baeza antè citatus.

Num. 4.

*Terrena sunt vana, nihil.*

*Polyanth. Sacra Thom. II.*

### Ex Veteri.

*Terra erat inanis.* Gen. 1. 2. Aquila: *terra erat vanitas, & nihil.* Symmachus: *terra erat otiosa, & indigesta.*

*Peperit Abel.* 4. 2. Habel vocat, id est, vanitas, à radice habal, *vapor in nihilum abiens.* Unde Josepho l. 1. antiqu. c. 4. Habel significat *nihil hoc.* Hac radice dixit Ecclesiastes: *Hebel habalim, vanitas vanitatum.* Velloso in Judith 6. 19.

*Ego sum, qui sum.* Ex. 3. 14. Nota: sicut nomen Dei est esse; ita è contrario creaturarum nomen non esse: ut, si interrogetur homo, lapis, angelus; quis es? qui vocaris? respondere possit, & debeat: nomen meum est, non esse; ego vocor non sum; idq; primo: quia omnis creatura habuit æternum, non esse. Secundo corruptibilis est; habebit rursum æternum non esse. Si corruptibilis, uti Angelus potest semper habere non esse; quia ipsius esse est in potestate Dei liberè ipsam conservantis. Tertio quia quælibet res creata plus habet non entis, quam entis. Cornel. hic.

*Nolite converti ad idola.* Levit. 19. 4. Hebr. *elilim*, id est, res vana, nihili. Secundo *elitim* est diminutivum ab *el*, id est, Deus quæ fortis. q. d. *deiculi forticuli.*

*Dixerat enim, non habeo filium.* 2. Reg. 18. 18. Tres filios, & unam filiam, habebat Absolon, ut ex 2. Reg. 14. 27. notant Lyran. Cajetan. Theodoretus. Quomodo ergo habens tres filios, erecturus monumentum dixit: *non habeo filium?* Rationem dat Theodoretus: quod filij non possunt diu durare. Merito despiciunt filios, tanquam non essent; qui sciebat illos mortales. Baeza t. 3. l. 14. c. 17. §. 5.

*Vidi impium superexaltatum transivi, & ecce non erat.* Pl. 36. 36. Non dicit, non est; sed *non erat.* Idem ibidem. Quod transivit David? ut tam cito ei evanesceret pompa? transivit mente ad contemplandam DEI gloriam. Elias Cretenensis or. 3. Nazianz. ait: quid illud est, quod transit iustus, ut ista cesser elatio? Cum videmus extolli impios, & in nimiam superbiam crescere; transeamus & nos mente, & intellectu, ab iis, qui videntur, & temporalia sunt; & transferamus intellectum nostrum ad æterna: & tunc omnis mundialis altitudo corrui tanquam in nihilum. Sylveira in Actor. 1. q. 8.

*Vanitas vanitatum.* Eccl. 1. 2. Hebr. *nihil, & nihil; & omnia nihil.* Aquila, Symmachus: *vapor vaporum, & omnia vapor.* Syrus. *inanitas inanitatum, & omnis inanitas.*

### EX NOVO.

*Petens aliquid ab eo.* Matth. 20. 20. Dicendo *aliquid*, idenotatur, illam celestia petisse: nam omnia terrena nihil sunt. Qui solem aspexit, & repente cubile intrat, nihil videt: Sic sapienti ex divinæ pulchritudinis contemplatione nihil cuncta videntur. Diez. conc. 2. in festo S. Jacobi Ap.

*Non habeo, quod ponam ante illum.* Luc. 11. 6. In nulla creatura fuit aliquando inventum, aut invenietur in sæcula sæculorum; ut ante affectum suum ex semetipsa possideat, quid

Fff ff a

quid apponat. Utinam omnibus esset nota imperfectio in hominibus latens! profecto aut omnino teberent, aut viam extollentiae ignorarent. Nemo sibi Deus est aut largitor honorum. Sim. Cass. l. 6. c. 1.

*Erat dives, & induebatur purpura. &c.*  
Luc. 16. 19. Omnia dicit de praeferito: significans, illum jam non esse, nec epulari, nec vestibus indui. O miser Munde! omnia, quae in te sunt, divitiae, honores, voluptates, merito possunt dici, jam non esse; cum tam cito transiturae sint. *Ego Ecclesiastes fui Rex Israël.* Eccl. 1. 12. Actu erat Rex; dicit autem *fui*; ut doceret, omnia, quae possidemus, tanquam praeterita aestimanda. Diez. fer. 5. D. 2. Quadr.

*Dilexerunt magis tenebras.* Joan. 3. 19. hoc est, bona sensibilia, quae tenebrae appellantur: quia privata sunt lumine spiritui. Cajetanus hic.

*In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Joan. 14. 2. Merito ait Dominus *sunt*: quae enim aeternum manent, ea solum sunt: quae non manent, non sunt; & quasi non sint, debent reputari. Baeza t. 3. l. 14. c. 17. §. 5.

*Reliquum est; ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint.* 1. Cor. 7. 29. Omnia terrena, tanquam non sint, tenferi debent. Cur ita? *praeterit enim figura hujus Mundi.* v. 31. Idem ibidem.

#### Ex Patribus, & aliis.

Omnia imaginaria in hoc saeculo, & nihil sunt. Tertull. l. de cor. militis.

Læticia saeculi vanitas: cum magna expectatione speratur, ut veniat; & non potest teneri, cum venerit. S. August. tr. 7. in Joan.

Omnes istae felicitates, quae videntur, saeculi, somnia sunt dormientium. Et quomodo, qui videt thesauros in somnis, dormiens dives est: sed evigilabit, & pauper erit. Sic omnia ista vana hujus saeculi, de quibus homines gaudent, in somno gaudent. Idem in Psal. 131.

Et inspexi coetera infra te; & vidi, nec omnino esse, nec omnino non esse: esse quidem, quoniam abs te sunt; non esse autem; quoniam id, quod es, non sunt. Id enim verè est, quod incommutabiliter manet. Idem Confess. l. 7. c. 11.

Quae sunt praesentia, sunt somniò nihil meliora. Sed quemadmodum, qui in somnis sibi videntur habere pecunias, licet fuerint regiae gazae, cum dies illuxerit, sunt omnium pauperum: ita etiam in vita praesenti, qui nihil illuc auferre potuerit, est omnium pauperimus: in somniis enim solum est dives. Si velis ergo mihi ostendere divitem; tunc mihi ostende; quando fuerit dies, quando in illam patriam recesserimus: nunc autem non potero discernere divitem, & pauperem. S. Chrysof. in Pf. 43.

Omnia, quibus in hac vita mortalium curae distinentur, inanis quaedam opinio sunt, nihilque subsistens. Opinio est honor, dignitas, generis claritudo, superbia, elatio, divitiae, & hic

similia; quibus vitae hujus aranei inhiant. S. Gregor. Nysl. tr. in Psalmos c. 7.

Vanum intelligitur, quod non potest consistere; quod in sola verborum prolatione suam habet essentiam. Idem hom. 1. in Ecclesiasten.

Sed, nunquid caelestia, & terrestria, quae Deus creavit, & omnia valde bona; cuncta in vanitate consistunt? non utiq; sed comparata potioribus, illa minora nimis, & inania judicantur, sicut ait Hieron. Lucerna lampadis comparatione pro nihilo est. Lampas stellae comparatione non lucet: stellam Lunae confer; & caeca est: lunam soli junge; non rutilat: solem Christo confer; & tenebrae sunt. Sic omnia vana sunt; quae, dum melioribus comparantur, fulgore proprio minuuntur. Sim. Cass. in Pf. 61.

Arias Montanus ait, omnia sublunaria esse familia ciphrae O; quae, si à solido numero separetur, nihil efficit: nec numerus est; sed inanis, exilisque circulus. Sic enim omnia sub caelo, per se nudè spectata, inania sunt; parvique imò nullius, valoris & pretii. Rursum, quò magis ciphram solam multiplicas, eò inanius plura inania coacervas. Sic pariter quò plures opes &c. At, sicut ciphra O addita numero solido, eum adauget; sic, si vanitas veritati, homo Deo adhæreat, & ad ejus honorem opes in se vanas expendat; efficit actus nobiles charitatis, elemosynae, aliarumq; virtutum. Apud Cornelium in Eccl. 1.

Num. 5.

*Terrena sunt periculosa, noxia.*

*Ex Veteri.*

*Cumq; operiretur vestibus, non caleferebat.* 3. Reg. 1. 2. Temporalia non calefaciunt in amorem Dei, & proximi; sed potius refrigerant ab amore. Et quid mirum? umbra enim sunt; quae & splendorem, & calorem, solis aufert. Hugo Card. hic.

*Defecerunt sicut fumus dies mei.* Psal. 101. 4. Nonne vides etiam corporis oculos cum in fumo remorantur, lacrymas semper effundere? si verò potiantur florentibus pratis, & hortis virentibus, multò majori aciei fulgore rutilare. Talis profectò est & mentis oculus: si in pratis spiritualis pascatur eloquii, erit totus purus, & lucidus; si verò in fumum saecularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lacrymabitur, & flebit. S. Chrysof. hom. 2. in Matth.

*Vanitas vanitatum.* Eccl. 1. 2. S. Hieron. *vapor sumi.* Nam res Mundi excecant, & molestant, ut fumus. Diez. conc. 2. in festo S. Jacobi.

*Vidi Dominum sedentem super solum excelsum.* Il. 6. 1. oculos verò demittens vidit domum inferiorem repletam fumo v. 4. Idem ibidem.

*Sordes ejus in pedibus ejus.* Thren. 1. 9. *deposita est veementiter, non habens consolatorem.* ib. Ecce tibi tota civitas luctui, fletui, tradita, sine consolatore. Sed unde hic fletus, & sine consolatore, lamenti causa? *Sordes* &c. si non ad terrena, & lutea, bona egrederetur, &c. Baeza t. 1. l. 5. c. 2, §. 2.

Ex

## Ex Novo.

*Si cadens adoraveris me.* Matth. 4. 9. Nihil vicinius bonis temporalibus demon invenit, quam casum, quam ruinam. Baeza t. 1. l. 3. c. 22.

*Panem nostrum super substantialem &c.* Matt. 6. 11. Mox: & dimitte nobis debita nostra. v. 12. Quae debita? quae ex acceptione hujus doni temporalibus contraximus. Quid enim terrenum, licet exiguum, non est occasio delinquendi? Tertull. hic c. 4. consequens erat; ut, observata Dei liberalitate (*panem nostrum*) etiam clementiam ejus precaremur. Quare erat consequens? quia vel parvus cibus solet occasionem delicti ministrare. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 5. sect. 2. obf. 6.

*Quid faciam?* Luc. 12. 17. Spectandas putabam in divite messe cantilenas; verba laetitiae, & jubili; at non haec; sed quae anxietates, & molestas curas, sonabant. *Quid faciam?* S. Zeno f. de dupl. tentat. gen. *quid, inquit, faciam?* Quis non talem miseretur? quis non infelicitatem ejus doleat? angustiat ex abundantia; constringitur ex opulentia; infelix in praesentibus, infelicio in futuris. Et, ut video, ager ei non tam reditus largiores, quam gemitus attulit graviores. Baeza t. 1. l. 5. c. 2. §. 2.

*Fili, recordare; quia receperisti bona in vita tua.* Luc. 16. 25. Haecine tota causa cruciatuum, quod receperit bona in vita sua? ipsa plane S. Bernardus sup. *eccenos*. Sanè judex sententiam laturus, reo objicit crimina, delicta comprobata declarat; ob quae dignas poenas recipiat. Et ecce tibi epuloni tota causa cruciatuum; quod receperit bona in vita sua. Ubi sunt scelera illius? ubi veritas in pauperes? ubi aris alieni tenacitas? Omnia simul objicit crimina, qui bona illis temporalia enumerat. Baeza t. 1. l. 3. c. 22.

*Fatigatus sedebat supra fontem.* Joan. 4. 6. Non dicitur JESUS fatigatus, dum iter faceret; sed dum sedet super puteum. Puteus Mundi bona denotat: si enim homo post hujus saeculi vias, qui laborat ad bona comparanda, vult in iis sedere, & otio vacare, non requiem, sed fatigationem, & laborem, reperit. Sylveira hic.

*Si dimittimus eum sic &c.* Joan. 11. 48. O stultitia, & imprudentia! timuisti perdere terram, & perdidisti caelum. Timuisti, nè venirent Romani, & tollerent tibi locum & gentem; nunquid tollerent Deum? Quid ergo, restat! quid? nisi, ut jam fatearis, quid tenere voluisti, & tenendo male amisisti. Perdidisti locum, & gentem, occidendo Christum: perdidisti & locum, & gentem, & Christum. S. August. in Psal. 53. Ecce Dei judicium: ut, qui Deum propter rem aliquam deserit, ab omnibus deferatur. Sylveira hic.

De iis, quae tibi non profunt, te adeo fuisse sollicitum, erubescas, cum è corpore excesseris. B. Isaias Abb. or. 15.

Qui flumen aliquod tranat; nisi caput super aquas erigat, est in periculo submersionis. De omnibus dici potest: *in mari via tua, & semi-*

*tae tuae in aquis multis.* Pl. 76. 20. Si in altum cogitationes, & affectus, non erigimus, in peccatorum undis submergemur. Diez. conc. 3. D. 5. Pasch.

Num. 6.

*Terrena vilia, brevia, pauca, vana.*

*Ex Veteri, & Novo.*

*Vidi somnium, quod tria canistra haberem - & in uno canistro portare me omnes cibos, qui sunt arte pistoria, avesq; comedere ex eo.* Gen. 40. 16. Chald. & aves comedebant ea. Terrena, longò labore pacta, cito perduntur. Naxera in Jos. 15. §. 8.

Vitulus aureus non levi labore conflatus erat. Ex. 32. 4. quem arripens Moyses combussit, & contrivit usque ad pulverem. v. 20.

*Operuit vultum suum pallio.* 3. Reg. 19. 13. Videns Elias gloriam Dei ante se transire, pallio oculos sibi obvelavit: quam primum enim quis gustat divina, terrenis omnibus oculos claudit. Stella de cont. p. 2. c. 63.

*Extende paululum manum tuam.* Job. 1. 11. Sub vocabulo *paululum* intelligit demon omnia terrena bona, quibus florebat Job; ùe interpretatur S. Gregor. mor. l. 2. c. 5. S. Thomas Aqu. Pineda &c. bona omnia Jobi vocat *paululum*, quia non animæ. Sylveira in Matth. 16.

*Omnia subiecisti sub pedibus ejus.* Psal. 8. 8. Ut contemneremus, & calcaremus: nos vero ea tantum facimus, ut super caput ponamus. Diez. conc. 2. in festo S. Jacobi.

*Super pauca fuisti fidelis.* Matth. 25. 21. Quae illa pauca? certe omnia illa, quae in hoc Mundo pretiosissima aestimantur. Omnia, quae aut animæ, aut corporis, ministerio assignata, fideli usu ab homine sic tractantur; ut virtutum incremento, & divini beneplaciti obsequio deputentur. Cur ergo pauca dicuntur, quae sunt innumera? Eusebius Gallicanus hom. de Nat. Conf. nota, quod pauca Dominus reputat, quae in hoc Mundo meliora habemus: qua in re illius regni divitias inestimabiles esse ostendit. Ramirez in Apoc. 2. ep. 2.

*Pete à me, quod vis - licet dimidium regni mei.* Marci 6. 22. 23. Vide, quam benè saeculares de saecularibus judicent potestatibus; ut etiam pro saltatione regna donentur. S. Ambros. l. 3. de Virg. c. 5.

*Anima mea habes - stulte, hac nocte.* Luc. 12. 19. Non poterant non exigua esse possessionis spatia; cum tam proluxa fuerint ambitionis tempora. Cyrillus in Catena: fructus quidem habes in horreis; sed annos plurimos unde poteris obtinere? dives igitur non parat permanentia horrea, sed caduca; & quod stultius est, vitae longitudinem sibi taxat. Naxera in Jos. 5. §. 6. Notandum: quod omnia, quae in praesenti habemus, licet magna videantur, & plurima; tamen comparatione futurorum pauca, & parva, sunt S. Hieron. apud Did. Nil. D. 5. Pasch. §. 1.

## Ex Patribus, &amp; aliis.

Quaquaversum se verterit anima hominis; ad dolores figitur alibi, præterquam, in te; tamen si figitur in pulchris extra te, & extra, se: quæ tamen nulla essent, nisi essent abs te: quæ oriuntur, & occidunt, & oriendo quasi esse incipiunt, & crescunt, ut perficiantur; & perfecta senescunt, & intereunt. Etenim omnia senescunt, & omnia intereunt. Ergo, cum oriuntur, & tendunt esse; quò magis celeriter crescunt, ut sint; eò magis festinant ut non sint. S. August. Conf. l. 4. c. 10.

Quid caduco huic, Mundo laboras? cur perforato aquam dolio ingeris? nihil enim aliud est, in præsentibus istis laborare; quàm flammam discerpere, quàm pugnis aera cedere. S. Chrysof. hom. 77. in Matth. 22.

Quidquid finem habet, non admodum pretiosum est: quidquid cessat, & hodie est; cras definit: etiam maximum, quàm vilissimum, est existimandum. S. Chrysof. hom. 43. in Joan. 6.

Cum sol ad occidentum pergit; quò magis occidit, eò magis umbræ accrescunt. Quæcunq; res corporea; etiam exigua, umbram magnam efficit. Cum verò sol; in meride est, omnes umbræ sunt minima. Sic contingit nobis: quò enim magis Deus à nobis recedit, eò majores nobis apparent res, & honores, Mundi. *Transierunt omnia tanquam umbra.* Sap. 5. 9. Quando verò Deus in medio hemispherii, id est, cordis nostri, commoratur; tunc omnes umbræ sunt minima. Cum enim sic possideatur, illuminetur, & à Deo inflammetur; omnia minima, & quasi nihil, esse ducit. Et hoc est, quod sponsa significat Cant. 2. 3. *sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.* Arborea sylvarum sunt robora, rubus, ilices, & quercus; quæ suavem fructum non proferunt. Vult igitur dicere: quidquid est in mundo, præter Deum, animæ est fructus sylvarum; glandes duræ, & amara. Diez. Dom. Palm.

Num. 7.

## Terrena spernentium dignitas, honor.

*Ecco constituit te Deum Pharonis.* Ex. 7. 1. Quid causæ? cur Moyses tam graviter, & tam frequentè, Ægyptum verberante, increpante Pharonem tam sæpe; nunquam ausi sint, vel percussu Ægyptii, vel Rex obijrgatus, eum occidere, vel regnò pellere? Poterat sine dubiò tyrannus, ut se liberaret pœnis & minis, præcipere uni è stipulatoribus, ut Prophetam occideret. Id nemini in mentem venit: quia spes abjecta obtinendi imperii, è regia fortis egressio, & ipsa dominationis fuga, sic venerandum faciebant, & afflictis subditis, & irato principi; ut nemo eum ferire, vel verbò percellere, ausus, S. Ambros. l. 8. in Pl. 118. factus in Deum Regi Pharoni: hæc est potentia sanctitatis. Et tu, sive tanquam Deus peccatoribus terrori esse, regibus reverentia, ut tanquam Deo tibi videantur esse subiecti; contemne, quæ

Sæculi sunt, & Dominicæ Passionis opprobrium contende omnibus præferre divitiis. Olyva t. 3. conc. 31.

*Ego dixi: dii estis.* Pl. 81. 6. Quibusnam dixit Dominus? ijs, qui, quoad ejus fieri potest, mortalia omnia repudiant. Clemens Alex. l. 2. Strom.

*Ostendit ei omnia regna Mundi.* Matth. 4. 8. Author Imp. op. hom. 5. in Matth. in persona diaboli: ostendam illi omnia regna Mundi. Si concupierit ea; scio, quia homo est: si autem contempserit; scio, quia Filius Dei est. Qui verè orat, *Pater noster, qui es in calis*, terrena non quærens; magis filius Dei, quam hominis est. *Filij hominum, usquequò diligitis vanitatem?* Plal. 4. 3. Barradius hic tom. 2. l. 7. c. 4.

*Ecco ego mitto Angelum meum.* Matth. 1. 10. Angelum appellavit, quasi angelicam degentem vitam: eò quòd super terrena elevabatur, & cœlestia sapiebat. Euthymius apud Escobar. t. 3. Coll. Chr. l. 1. sect. 2.

*Princeps regum terræ.* Apoc. 1. 5. appellatur: quia peculiarem in illos dominatum obtinent, qui terrenis cupiditatibus imperare didicerunt. S. Andreas Cæsar. l. 1. hic.

Quis non fursum esse mallet, & non sub terra? quia non eligeret potius esse angelus, quàm talpa semper in subterraneis latebris agens? Angelus est is, cujus cor in cœlo versatur; talpa ille, cujus in terra cor defossum. Theodoretus apud Sylveira addit. in Luc. 12.

Num. 8.

## Terrena spernentium utilitas, præmia.

*Eredere de terra tua.* Gen. 12. 1. Abrahamæ, Dei jussu terram suam relinquenti, promittuntur septem præmia: quòd numero universitas præmiorum significatur. Mendoza in 1. Reg. 6. Annot. 21. Sect. 2.

*Levo manum meam ad meam ad Dominum Deum.* Gen. 14. 22. Perfecta mentis est, nihil de terrenis, nihil de corporalibus, illecebris assumere, abstinere a terrenis; Ideo Abraham dicit: *nihil summam ab omnibus tuis.* Quasi contagium, declinat intemperantiæ, quasi labem refugit corporalium sensuum: delectationes Mundi rejicit, quærens quæ supra Mundum sunt: hoc est extendere manus ad Dominum. S. Ambros. l. 2. de Abrah. c. 8. *Merces tua magnanimitas.* Gen. 15. 1. Quia de prada nihil accipere voluisti; ideo ero protector tuus contra hostes tuos. Hugo Card. hic.

*Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit.* Deut. 11. 24. Quantum est humilitatis dominium, omnia habere sub pedibus per generosum contemptum. Gerson. p. 2. l. in cœna Dom.

*Pater noster, qui es in calis.* Matth. 6. 9. Si vis habere Patrem Deum, in cœlos specta, & non in terram. Theophylactus hic.

*Necesse habeo exire, & videre illam.* Luc. 14. 18. Quid ea necesse videre, quorum contemptu

tempore beatificamur promissione regni cœlorum? Quid necesse videre terrena, quorum contemptu cœlestia tribuuntur? Quid necesse videre illa, quorum contemptu cum Angelis portio nostra statuitur? Quid necesse videre, quæ nunquam plenè habentur, aut ex tota copia, seu ex modica mora: nec habita fatiant; imò sæpe fastidiunt; cum Patrum familias omnium magnam vocat ad cœnam. Sim. Cass. l. 6. c. 19.

Misericors Dominus, quando nos videt despiciere præsentia, etiam ipsa largiùs suppeditat; reponitque plurima, quibus olim fruemur. S. Chrysof. hom. 33. in Gen.

Ille plenè omnia terrena possidet, qui omnia hujus Mundi plenè despiciet & contemnit. S. Bonaventura Stim. am. c. 1.

Num. 9.

### Christi exemplum, & monita.

*Filij hominum, usquequo gravi corde.* Pl. 4. 3. & *scitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum* v. 6. Hæc est potissima ratio, cur deberent homines non amplius inhaerere temporalibus: quia videlicet venit ad nos Sanctus Dei, id est, Filius Dei, Bellarminus hic.

*Ostende mihi faciem tuam.* Cant. 2. 14. id est, converte ad me faciem tuam, quam à me averfam habes: averte illam à terrenis rebus, quas plus, quam me, amabas: ut tu me deinceps respicias, & ego te, de Ponte. hic. Exh. 26. §. 3.

*Egredimini - Filia Sion.* Cant. 3. 11. id est, egredimini ab operibus pravis, concupiscentiis tumultibus, & rerum terrenarum curis; & tum tranquille Regem vestrum videbitis. *Vacate, & videte.* Pl. 45. 11. Idem hic Exh. 34. Egredimini animæ fideles à Mundo, & corde sursum ascendite in cœlum: avertite oculos à terrenis. Idem ibidem.

*Vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum.* Cant. 4. 9. Duo sunt visus, sive oculi; unus, quò superna contemplamur; alius, quò transitoria atque terrena. *Vulnerasti cor meum* q. d. anima! quæ soror mea dici meruisti, ex quo carnem sumendo me tibi fratrem feci; & quam sponsam elegi, cum te mihi in amore, & voluntatis unitate, conjunxi: in eo, quòd æterna potiùs, quam terrena, cordis oculis vides, & quaris; tantum me lætificas & grata sis; ut amor tuus cor meum vulneret, & nimietate suâ penetret. Richardus à S. Viç. c. 27. in Cant.

*Paravit Deus vermem.* Jonæ 4. 7. ambiciosa hedera, quæ umbrâ suâ astuantem Jonam protegebat. Vermis ille Christus crucifixus. Ego sum vermis. Pl. 21. 7. quasi sit sensus: Florentissima sæculi bona quæ hominibus antea pro umbra, imò pro vita erant; ab ipsis postea, Crucis Christi humilitate edoctis, pro nihilo ducenda esse. Prædixit id Isa. 2. 17. *incurvabitur sublimitas hominum.* Incertò Authore.

*Surgite, eamus hinc.* Joan. 14. 31. præcipiens, ut unusquisque furgat de terrenis; erigat animam humi jacentem; ad superna attollat: excitet aquilam suam; & illam aquilam, ad quam dictum est: *renovabitur ut aquila*

*juventus tua.* Psal. 102. 5. ad animam hoc dictum est. Anima ergo nostra, sicut aquila, alta petat, supra nubes volet, renovatis splendescat exuviis, cœlo volatus suos inferat, ubi laqueos incidere non possit. S. Ambros. l. de bono mortis c. 5. Hortatur nos Salvator dicens: *Surgite eamus hinc*: non eos tantum, quos tunc Discipulos habebat, ex illo duntaxat loco transferens; sed & semper, & omnes discipulos suos, à terra, rebusque terrenis, ad cœlos, & res cœlestes pertrahens. S. Gregor. Naz. orat. 6.

*Christus factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Philipp. 2. 8. Cur sic? ut elevatus à terra, id est, ab omnibus, quæ terreni homines quærere possunt, traheret ad se omnia, tam exemplò tali, quam auxiliò invisibili. Gerson. tr. 9. sup. Magnif.

Quis beatam vitam esse arbitretur in iis, quæ contemnenda esse docuit Filius Dei? S. August. l. de agone Christiano c. 11.

Omnia bona terrena contempsit homo factus Dominus Christus; ut contemnenda monstraret: & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat: ut neque in illis quæreretur felicitas; neque in istis infelicitas timeretur. S. August. l. de Catechiz. rud. c. 22.

Num. 10.

### Exempla Sanctorum.

*Scidit vestimenta sua.* Job. 1. 20. Ob hoc conscidit, ut expeditior, atque constantior, exitisset in prælio, ut illa, quæ retardant, deponeret; ut illa, quæ impediunt, à se projiceret. Origenes hic.

*Percusserunt me, & vulneraverunt me; tulerunt pallium meum custodes murorum.* Cant. 5. 7. Non multò antè indilectum offendit; & fortiter ad eò brachiis charitatis adstringit, ut separari non velit. *Tenui eum, nec dimittam* &c. Cant. 3. 4. Cur; quæ Sponsam ad eò tenet ut eò spoliari nequeat, pallium fixè ad eò non tenuit, ut nudari nequiverit? O digna sponsæ cœlestis studia! vulnerari, spoliari, contemnit: hoc solum timet, nè à sponso vel tantillum separetur: quia æquâ æstimationis lance res ponderat. Solum quæ amore digna, studiosè complectitur; alia generosè aspernatur. *Tulerunt pallium meum*, non rapuerunt: quia haud invita reliquit. Naxera in Jos. 17. §. 12.

*Memento mei Domine.* Luc. 23. 42. O lætronis philosophia! non petit pecunias, non solvi supplicio, non penâ liberari. Non ait illi, depone de cruce: nihil hæc curo supplicia: sublimiores assumpsi alas; alios oculos accepi. Terram universam, nihili facio, mortem contemno: adest enim, qui largitur immortalitatem; illum enim cupio, ejusque desiderio æstuo. S. Chrysof. orat. in sancta lumina.

*Martha ergo - occurrit.* Joan. 11. 20. Dimittit Martha domum, dimittit sororem, dimittit consanguineos, & amicos; dimittit, quæ humanè venerant præstare solamina: & in

con-

confulta venit; cum superiorem potentiam, & virtute, advenire cognovit. Dimittuntur bona, cum meliora proveniunt: & ima pro summis, terrena pro celestibus, humana pro divinis, dimittere ratio sic sana docet. Summa Christus est causa; ut omnia fiant: repudio, cum advenit. Et humana consolatio dimittatur, ut se promittit adesse divina, Sim. Cass. l. 5. c. 15.

Num. 11.

*Terrena spernendi varia motiva.*

*Filia mea, & Filij, atque greges tui; & omnia, quae cernis; mea sunt.* Gen. 31. 43. Sicut opinor, Jacob valde risit Labanum dicentem, liberos, greges, omnia denique sua esse. Philo Jud. lib. de Cherub.

*Locum nostrum, & gentem.* Joan. 11. 48. Prudentes omnia Mundi bona in mobilibus recentent; fatuis sunt omnia fixa, & stabilia. Magna amentia! quod gentem, & locum, sua vocant, suasque facultates; quas illorum solum usus permiserat Deus; non dederat, ut reputarent propria. Did. Niss. ser. 6. D. 5. Quadr. §. 4.

Si cui aliquis quinque hodie ex aere denarios offerat, quingentos vero aureos in crastinum spondeat; optionemque offerat, utrum aë ad praesens sumere, an aurum mallet in posterum? dubiumne est, quin praepotet grandia illa munera cum parva in ora? Tu quoque, brevis huius, atque aeternae, vitae conditione perspecta, non eligas capere vilia; cum sperare possis pretiosa. Sanct. Eucherius epist. Paræn. ad Valerianum.

Usus tantum earum rerum accepimus, quas tenemus: commodatis enim à Deo facultatibus utimur & quasi precarij possessores sumus. Denique egredientes è Mundo isto, velimus, nolimus; hic cuncta relinquimus. Salvianus l. 1. Eccl. Cath.

§. IV.

*Terrenorum amor, & amatores.*

Num. 1.

*Symbola.*

*Ex Veteri.*

*Benedixitque eis dicens: crescite, & multiplicamini.* Gen. 1. 22. Oportet te volare, vel natare; si vis affugere perditionem. Cum Deus creavit aves & pisces; dedit eis suam benedictionem: animalibus vero reptilibus non benedixit. Qui appetit benedictionem, non inordinate afficiatur rebus terrenis. Stella de cont. p. 1. c. 82.

*Dimisi corvum, & non revertetur.* Gen. 8. 7. Dicitur, quod cadavere aliquo illectus fuit. Hugo Card. in Pl. 42.

*Sicut pulverem terrae.* Gen. 13. 16. Isidorus Pelusiotus l. 3. ep. 296. notat, posteros Abræ hic comparari pulveri terræ; stellis vero c. 15. §. quia ex iis aliqui futuri erant sapientes, & sancti, coelestes, sublimes, & illustres, instar stellarum caeli: alii vero insipientes, pravi, terrestres.

*Det tibi Deus de rore calis &c.* Gen. 27. 28. Esau venator, dum esset foris, Isaac benedictionem amisit: Jacob autem benedictionem

recepit, quia domi residebat. Venator est, qui temporalia toto orbe fugientia corde, & corpore, sequitur. Hugo Card. in Luc.

*Omne de volucribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis.* Levit. 11. 20. Quod manibus incedit, immundum est; & quod super quatuor pedes semper graditur, immundum est. Manibus incedit, qui terrenis innititur; quique spem in illis omnem suam habet. Quatuor graditur pedibus, qui in res sensibus obnoxias incumbit; eorumque occupationibus principem animi partem. Unde sapiens ille Proverbiarum author ne duos quidem hominem sapientem habere vult pedes; sed unum tantum, eumque raro ad res corporeas movere. *Subtrahere pedem tuum de domo proximi tui.* Prov. 25. 17. S. Nilus lib. Ascet.

*Lucerna, quae super eum est extinguetur.* Job. 18. 6. Bene de lucerna hac non dicitur, quae apud eum est; sed quae super eum est: quia iniquorum mentem terrena gaudia possident; sicque eam in voluptatibus absorberunt; ut super ipsam sint, non apud ipsam. Iusti autem, etiam cum prosperitatem vitae praesentis habent, eam sub semetipsis premere noverunt. S. Gregor. mor. l. 14. c. 4.

*In circuitu impij ambulat.* Psal. 11. 9. Semper ambientes bona Mundi, & nunquam ad finem desideriorum suorum pervenientes. Bellarmius hic.

*Moverunt caput.* Pl. 21. 8. videlicet mentem rebus caducis, & mobilibus per amorem copulando. Moverunt caput scilicet à Deo, qui mentem in mobilibus ponunt. Unde hac fuit poena Cain, scilicet tremor capitis. Hugo Card. hic.

*Universum stratum, ejus versasti.* Pl. 40. 4. Lectus dicitur amor temporalium. Hugo Card. hic.

*Divitiae si affluant nolite cor apponere.* Pl. 61. 11. Omnes, qui terrena sapiunt; omnes, qui felicitatem terrenam Deo praeferrunt; omnes, qui sua quarunt, non quae JESU Christi; ad unam illam civitatem pertinent, quae dicitur Babylonia mystice, & habet regem diabolium. Omnes autem, qui ea, quae sursum sunt, sapiunt; qui coelestia meditantur; qui cum sollicitudine in saeculo vivunt, ne Deum offendant; qui cavent peccare; quos peccantes non pudet confiteri; humiles, mites, Sancti, iusti, pii, boni; omnes ad unam civitatem pertinent, quae Regem habet Christum. S. August. hic.

*Inimici ejus terram lingent.* Psal. 71. 9. Terram lingunt, id est, terram sapiunt: hoc enim sapit unicuique, quod lingit; quibus in modum serpentis humus est esca poenalis. Cassiodorus hic.

*Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.* Pl. 106. 23. Homines, rejecta stabili, & nulli tempestari exposita, vita; voluntate, & proposito, quasi mare effecti sunt. S. Gregor. Nyss. tr. 1. in Pl. c. 8.

*Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque, & stultitiam.* &c. Ecclæ. 2. 12. Voluptatem vocat errorem, atque circuitum: quod

quod ad omnem ventum circumferantur bona ista terrena; quæ materiam suggerunt lætitiæ, ac voluptati. Insanire enim videntur, ac esse sui oblitri; qui in loco miseriæ, & lacrymarum, latandum sibi esse falso existimant. Olympiodorus hic.

*Oculi tui columbarum.* Cant. 4. 1. Interior mentis sufficientia placitum aspectum facit exteriorem, ut circa terrena oculos habeat columbarum: sicut in cupidis terrenorum appetitus facit oculos milvorum. Richardus à S. Vict. c. 15. in Cant.

#### Ex Novo, & Patribus,

*Congregabit triticum suum in horreum.* Matth. 3. 12. Granum tritici, non hordei, esse debes: hordeum enim pelliculam illam, quæ operitur, difficile expellit; quam granum tritici facile exiit. Sic perfectum cor non alicui rei huius sæculi adhæret inordinatè; imperfectum verò vix se ab aliqua novit expellere. Diez. conc. 2. in Comm. Virg.

*Genimina viperarum.* Luc. 3. 7. Filij serpentis; qui pessimos, & fraudiliosos, imitantur; qui terrena sectantur; quoniam terra illius est cibus: qui humanam habent prudentiam, non divinam; non cœlestem, sed omninò terrenam. Sim. Cass. l. 3. hic.

*Erat inclinata; nec omnino poterat sursum respicere.* Luc. 13. 11. Nil mentem magis onerat, quàm istius Mundi sollicitudo; & cupiditas, vel pecuniæ, vel potentia: quod tibi demonstratur in Evangelio; cum legis, quia illa mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis, inclinata erat, ut sursum respicere non posset: curvata enim erat anima ejus, quæ inclinabatur ad terrena capienda; & cœlestem gratiam non videbat. S. Ambros. l. 2. hexam. c. 3.

*Et ecce equus pallidus.* Apoc. 6. 8. In hoc figurantur rerum terrenarum nimii amatores; quibus infidet diabolus. Pallidi sunt ex nimia anxietate acquiriti; timore, acquisita perendi. Sequitur Infernus; nam habent ab eo hanc conditionem: quod sicut infernus nunquam dicit, sufficit; sic etiam nullâ abundantia habeant satis. Sylveira hic.

Vani, & fatui, remisso, & languente, volatu (qui muscarum instar res hujus vitæ tenues, & exiles, circum lambunt) implicantur, & illicantur, quasi retibus quibusdam: deliciis, inquam, honoribus, gloriâ, variisque cupiditatibus, velut quibusdam araneorum texturis, involvuntur: præda, & esca, facti illi feræ, quæ per hæc talia venationem instituere solet. At si quis aquila præditus, acutiùs ad lucis radios irretortum mentis oculum convertens, seque ipsam in altum vibrans, in huiusmodi araneorum telas inciderit; solâ aurâ & impulsu pernicis volatûs, solòque alarum impetu; quidquid occurrit, dissipat, & disijcit. S. Gregor. Nyss. tr. in Psalmos c. 8.

Homo uxorem accipit, cum actionis terrena suscipit curam: cuius si fœditatem cognoverit, dat libellum repudiij, & dimittit eam de domo sua. S. Rupertus Abb. l. 1. in Deut. c. 28.

*Polyanth. Sacr. Tom. II.*

Num. 2.

#### Terrena amantur, proponuntur spiritualibus.

##### Ex Veteri.

*Maledicta terra in opere tuo.* Gen. 3. 17. Vide stoliditatem hominis, terræ, terrenisq; rebus, aut malis, vègiùs dicam, incubantis. Nam si terræ maledictæ, ubi nulla securitas, nulla felicitas; sed infida, & infelicia, euncta, sic adhæremus miseri: quid nobis fieret, si securi, ac felices, terram benedictionibus plenam habitaremus? Fernandus hic.

*Ecce ejcis me hodie à facie terra; & à facie tua abscondar.* Gen. 4. 14. id est, juxta Philonem: si temporalia à me tollis; spiritualia, quæ offers, abjicio. Est enim impiorum hoc ingenium; ut plura temporalia, quàm spiritualia, faciant. Pinna Ethol. 179.

*Sacrificate Domino: oves tantum vestra remaneant.* Exod. 10. 24. Cur oves retinere cupit? quia credebatur, tantò amore suarum pecudum teneri, vel pecuniæ ex illis colligendæ; ut malint cum illis in servitute remanere, quàm sine illis in libertatem redire: seu cum illis Pharaoni servire in Ægypto captivos, quàm sine illis Deo in deserto liberos sacrificare. Imò putabat, si fortè de Ægypto sine suis gregibus exirent, quamprimum in Ægyptum redituros: propensiores ad terrenas possessiones in Ægypto, quàm ad cœlestes pollicitationes in Palestina obtinendas. Mendoza in 1. Reg. 5. Annot. 19. Sect. 1.

*Gomor per singula capita.* Ex. 16. 16. Coturnix cooperuit castra. ibid. 13. Cœlestia in mensura volumus, humana sine mensura. Manna Israelitis ad mensuram cœlo demissum; coturnices sine mensurâ. Coturnix terreus cibus; manna Angelorum panis, cœlestis annona. Ideo ad mensuram datur, nè fastidiant, qui in ipsa coturnicum saturitate esuriebant. Basilius Seleuc. orat. 33. escam librans cœlum Judæis demittebat, ac intrâ modum gratia cohibebatur. Egrè ferrent in humanis modum; in cœlestibus placebat. *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Oleaster ad 12. Numer. audis, quibus nos Deus, veluti parvulos, alere voluit, & quibus velimus saturari. Vult ipse nos, ut filios, cibus delicatissimis enutrire: nos autem, veluti rustici, volumus porris, & alliis, saturari. Ille nos cibabat pane Angelorum; nos ventrem implere volumus siliquis porcorum. Naxera in Jos. 1.

*Invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra.* Eccl. 1. Reg. 5. 4. Omnia sua bona spiritualia in uno Dagine Philisthim ponebant: & nihilominus, cum eum dirutum, & contritum videbant, nihil movebantur. Verùm cum agrorum fructus, in quibus suas divitias habebant, à muribus devoratos viderent; valde doluerunt, & resipuerunt. v. 6. 7. Sic bonis spiritualibus temporalia anteposimus. Mendoza in 1. Reg. 5. 11. Annot. 19. Sect. 1.

Ggg gg

Ex

## Ex Novo.

*Mitte te deorsum.* Matth. 4. 6. hoc est, in terram, in terrena negotia; cœlestia minime cura. S. Ambros. in Luc. 4. qui, relictis cœlestibus, eligit terrena, voluntarium quoddam præcipitium vitæ labentis incurrit. Baradius t. 3. l. 6. c. 11.

*Ut quid perditio hæc?* Matth. 26. 8. S. Paulinus ep. 4. suo ipsius damnandus iudicio, quo triginta argenteis vendidit eum, quem mulier, ut ipse taxaverat, unxit trecentis. Sed in hoc perversus, quod, ipsum vili æstimans Dominum, unguentum illud carè æstimavit. Sic multi magni æstimant terrena, ut omni aurò putent emenda; cœlestia nihil pendunt. Sylveira hic.

*Intingat extremum digiti sui in aquam.* Luc. 16. 24. Stillâ digiti extremi credit gehennæ flammam extinguere, qui mensuris per totam diem ebrietas non extinxit incendia. S. Chrysol. l. 124. *Qui epulebatur quotidie splendide*, guttâ aquam petit: cur non petit fontem? Cœlestia in mensura volumus, humana sine mensurâ. Naxera in Jos. 1. §. 37.

Quia homo amore visibilibus ab invisibilibus amore cecidit, sola jam visibilia ex peccati pœna cognoscit; eaque diligit, solis eis inhæret; & invisibilia, quasi non sint, postponit. S. Bonaventura de reformat. mentis p. 1. c. 16.

Num. 3.

## Ex terrenorum amore dolor &amp; labor.

*Abiit tristis.* Matth. 19. 22. Erat anima huius colligata perfunctoris rebus; ideo contristatur, si aliter salvari non potest, quam quod amata dimittat. In omni enim re dimittenda tanta, est vis doloris, atque tristitiæ; quantum amoris inferebat possessa. Nihil enim aliud est ita à regione lancis, ex quo trutinetur amor possessa rei, quam dolor amissa. Sim. Cass. l. 9. c. 46.

*Et plangent se super eum omnes tribus terræ.* Apoc. 1. 7. Tribus terræ vocat omnes terrena diligentes, & terrena Christo profertentes. Richardus è S. Vict. hic.

Nunquam sine dolore amittitur nisi quod sine amore possideret. S. Gregor. mor. l. 1. c. 4. Amare aliquid periturum, nihil aliud est, quam finaliter dolere. Quantum enim id, quod diligimus, gaudemus esse habitum; tantum etiam mox dolemus, cum est amissum. S. Cyrillus. Apol. l. 1. c. 9.

O mors, quam amara &c. Si sic est amara sola memoria (mortis) quid erit experientia? cum dolor ex amore causetur. Necessè est, ut in morte tantò major sit dolor, quantum ad hæc temporalia major est amor. S. Bonaventura. l. 33.

§. V.

## Terrenorum damna, pericula.

## Ex Veteri, &amp; Novo.

*Et venit musca gravissima in domos Pharaonis &c.* Ex. 8. 24. Israelitica anima lab-

bathizat, dum, remota à negotiorum secularium strepitu, lectionibus, & orationibus vacat. Egyptiaca verò mulcarum ingruentium infestatione percellitur, dum terrenorum actuum inquietudine delectatur. Quid est enim in hac vita laboriosus, quam terrenis desideriis æsturare? quid quietius, atque suavius, quam huius sæculi nihil proflus appetere. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 5.

*Quis est homo &c.* Deut. 20. 5. Voluit Dominus hos remitti ex castris ad sua; nè desiderio rerum suarum, quibus necdum frui fuerant, remitteret animos in prælio, fugamq; capefferent, cum sociorum scandalo, & periculo. Cornelius hic.

*Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho &c.* Luc. 10. 30. Nota tempus, quò in latrones incidit: scilicet cum descenderet, non cum ascenderet. Scilicet cum reliquâ cœlestium rerum contemplatione, ad amorem sublunarium deflectit: tunc à latronibus spoliatur, vulneratur. Tunc enim malorum spirituum ictibus patemur, cum à virtute ad vitia deflectimus. Pinna Eth. 66.

*Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Ephes. 5. 16. Dies enim malos habemus, quando carnalia pro spiritualibus quarimus, terrena pro cœlestibus, pro æternis caduca, præsentia pro futuris. Orig. hom. 1. in Judic.

*Seducit habitantes in terra.* Apoc. 13. 14. Seducit illos, qui cordis sensum in terra, rebusque terrenis, perpetuò defixum habent. Quorum enim conversatio in cœlis est, hos neque sensus, neque Anti-Christi potentia, decipit. S. Andreas Cæsar. hic.

## Ex Patribus, &amp; aliis.

O astutum consilium maligni Spiritus, & principis Mundi huius! quomodo cunctos ad momentanea, & corruptibilia hæc, pertrahit: in oblivionem interim æternorum bonorum homines inducens. S. Ephrem de his, quæ præfens vita &c.

Ad virtutem tendentibus magno est impedimento rerum affectio terrenarum. S. Nilus lib. Ascet.

Nunquam tentationibus carebit, qui terrena dilexerit: sunt quippe opes arma diaboli; tentationum fomentum, exterminium quietis; & perfectioni inimica. S. Laurens. Just. l. de casto connub. c. 6.

§. VI.

## Terrena sunt stultitia, puerilitas.

## Ex Veteri.

*Da mihi de coctione tua.* Gen. 25. 30. In hoc contractu significatur; quòd reprobi propter lenticulam, id est, temporalia, vendunt æternam hereditatem. Thren. 1. 11. *dederunt pretiosa, quæ pro cibo &c.* Hugo Card. hic.

*Parvulum occidit invidia.* Job. 5. 2. Parvulus dicitur, qui terrena diligit; magnus, qui sola æterna quarit, Hugo Card. hic. Quem admodum turpe est, virum ætate provectum, in cinere, aut pulvere, confidentem puerilia describere; ita turpe, imò longè turpius est, eos, qui

qui de rebus æternis præfruentis deberent esse solliciti, in rerum terrenarum pulvere volutari; & studiorum turpitudine, professionis suæ fecundare perfectionem. S. Nilus lib. ascet.

*Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Pl. 143. 15. sic iudicant, qui veritatis discipuli non fuerunt. Mundi divitiis præferunt, & cœlestia regna contemnunt: beatitudinem putantes, aut oves foetidas aspicere, aut boves crassissimos possidere. Audite male persuasus audite dementes; in sinistra poni, quæ putatis esse magnifica. Sic enim Prov. 3. 16. legitur: *in sinistra illius divitiæ, & gloria.* Audiamus nunc, quid dicatur de turba Fidelium. *Beatus populus, cuius Dominus Deus ejus.* Psal. 103. 15. Cassiodorus hic.

*Qui sectatur otium, stultissimus est.* Prov. 12. 11. Hebr. *indiget corde,* Pro otium in Hebræo est *vana* Syrus: *qui festinat post vanitatem.*

*Fatuitas stultorum, imprudentia.* Prov. 14. 24. Stultorum fatuitas maxima hæc est, quod, improvidi æternorum, de præsentibus tantum commodis gaudeant: imprudentia enim dicitur quasi improvidentia V. Beda apud Cornelium hic.

*Sapientis oculi in capite ipsius; stultus in tenebris ambulat.* Ecclæ. 2. 14. Caput eminentia quædam est, & suprema totius corporis pars; pedes verò infimi sunt, terramq; contingentes. Quando itaq; præsidens intellectus purgatus fuerit; superna speculatur, non quæ sunt super terram: ac tunc in capite oculos verè habet. Quando verò mens terrena convertitur, tunc in pedibus habere oculos videtur, circalimum terræ occupata. Olympiodorus hic.

*Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.* Ecclæ. 10. 15. Stulti nesciunt viam in urbem, id est, in Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem: quia hærent in via, id est, terrâ, cupidius, & nugis. Ita S. Hieron. Olympiodorus &c.

*At tende, ne seductus in stultitiam humilieris.* Eccl. 13. 10. Sapientia, & virtus, nulli, licet potentissimo, ad scelus subdi se patitur; sed omnibus heroicè dominatur. Qui secus facit, insipienter agit instar bruti cameli, qui poplites flectit, ut in dorsum onera, eaque ingentia, suscipiat. Sic stultè se humiliant mundani, dum ad bona terrena procumbunt, eaq; in dorsum suscipiunt, neglecto Deo, & cœlo. Cornelius hic.

#### Ex Novo.

*Quinque autem ex eis erant fatue.* Matth. 25. 2. Una pars Christianorum insipiens est, & in die Judicis stulta probabitur: eò quod divinis, ac spiritualibus, præposuit terrena, & corporalia. Dion. Carthuf. hic. Propterea virgines fatue sunt appellatæ, quoniam circa fatuas Mundi curas vacabant; hic congregantes, ubi minimè est reponendum. S. Chrysof. hom. 51. in Joan.

*Stulte.* Luc. 12. 20. pro imprudens. Et verè imprudens: quia non providit sibi de necessariis ad salutem animæ. Cajetanus hic, Quia illâ sapientiâ, quæ est donum Dei, caret;

*Polyantb. Sacra, Tom. II.*

& stulticiâ, puerilitatisq; vitio ad impletur restq; similis puero, qui poma, & pyra, auro, & gemmis, præligit: sic ipse spiritualibus, & æternis, transitoria, atq; carnalia præfert. Dion. Carth. hic.

*Filij hujus sæculi.* Luc. 16. 8. Dicit eos; qui laudant omnia, quæ in terra lucrosa sunt. Theophylactus hic.

*Fericho.* Luc. 18. 35. interpretatur *luna;* & designat mutabilitatem rerum temporalium: ex quarum amore excecatur, & stultus efficitur. S. Bonaventura hic.

#### Ex Patribus.

Quid stultius? quàm, relictis cœlestibus, ad terrena intendisse; & posthabitis perpetuis, elegisse ea, quæ caduca atque fragilia sunt. S. Ambros. ep. 17.

An non extremæ dementiæ, & iniquitatis, est? non tantum studii, ac sollicitudinis, in rebus spiritualibus ponere, quantum circa temporalia, & fluxa, monstramus? S. Chrysof. l. 3. adv. vituperatores vitæ monasticæ.

In hac vita nihil ab infanientibus hi differunt, qui terrena res, & brevi duraturas, tanquam in somniis suspicantur. Videntur divitiis affluere, cum nullis affluent: in deliciis esse, cum non sint. Neq; antè se deceptos intelligunt, quàm ab insaniam liberentur, quàm somnum discutiant. Idem hom. 4. in Joan. c. 1.

Qui sæculo renuntiâsse se meminit; nullum sæculi diem novit: nec tempora terrena jam computat qui æternitatem de Deo sperat. Cyprianus de lapsis circa initium.

#### §. VII.

#### Terrenis præpone Christum, Spiritualia.

*De rore calii, & de pinguedine terre &c.* Gen. 27. 28. Circa Jacob, qui posterioris populi figura est, id est, nostri; prima promissio cœlestis est roris, secunda terrenæ opimitatis. Tertull. l. 3. contra Marcion. c. 24.

*Sumite psalmum.* Pl. 80. 3. id est spiritualia; & *date tympanum,* id est, temporalia. S. Thom. Aqu. lect. 3. in ep. Rom. 15.

*Læva ejus sub capite meo &c.* Cant. 2. 6. Læva est providentia Dei circa temporalia bona ad vitæ sustentationem: dextera verò providentia circa spiritualia, quæ conducunt ad vitam æternam. Utraque enim bona DEUS nobis providet; hoc tamen ordine: & temporalia sint infra nos; spiritualia verò, & æterna, suprâ. Hinc reprobi in die Judicij collocandi ad sinistram Judicij: quia temporalia prætulērunt æternis; & idèd utraque perdidērunt. Figura, ut notat S. Ambros. l. 48. in Pl. 118. Jacob benedictio Gen. 48. 14. Manasses, quod interpretatur *populus oblivionis,* & fuit filius Josephi major, symbolum est eorum, qui in hoc mundo exaltantur, & videntur dexteram tenere; sed apud Deum habent sinistram: quia propter temporalia obliviscuntur Creatoris sui. At Ephraim, quod interpretatur *frugifer,* indicat justos: qui licet sinistram in Sæculo tenere videbantur, ad dexteram Christi collocabuntur: commutabit enim manus ad benedictionem

Ggg gg 2

dictionem

dictionem electis. Huiusmodi autem brachiorum transpositio mysterium Crucis figurabat: in qua docuit nos temporalia, quae Mundus aestimat, contemnere; & aeterna, quae ille respuit, omnibus proponere. Et licet Mundus, & Caro, contrarium suadeant; non est illis assentiendum; sed cum Jacob in cepto perseverandum: ut semper spiritualia temporalibus proponamus. In cuius etiam figuram Isaac benedicturus duobus filiis suis, Jacob, & Esau, eisdem verbis, ordine tamen inverso, usus est. Nam Jacobo dixit Gen. 27. 28. & 39. *det tibi Deus de rore caeli, & de pinguedine terra.* Esau vero: *in pinguedine terra, & in rore caeli desperet, erit benedictio tua.* Quia Electi, quorum figura Jacob, caelestia bona proponunt terrenis: e contra reprobi, quos Esau repraesentat. Ecclae. 10. 2. *Cor sapientis in dextera eius; & cor stulti in sinistra illius.* S. Hieron. hic: id est, ille aeterna, & caelestia, sapit; hic temporalia, & terrena. de Ponte hic Exh. 41. §. 1.

*Qui consurgens accepit puerum.* &c. Matth. 2. 14. Dion. Carthuf. Cajet. Hugo, Barradius, &c. opinantur, quod eadem nocte Joseph in Egyptum discessit. Potius Joseph omnium bonorum suorum iacturam voluit ferre; quam, cum infantis periculo, fugam differre. Sylveira hic. q. 8.

*Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra.* Matth. 6. 10. Ideo quotidianis, imò continuis, orationibus hoc precamur; & in caelo, & in terra, voluntatem circa nos DEI fieri: quia haec est voluntas DEI, ut terrena caelestibus cedant; spiritualia, & divina, praevalent. S. Cyprianus l. de Orat. Dom.

*Accipit de dextera sedentis in throno librum.* Apoc. 5. 7. sed cum *in sinistra illius divitiae sint, & gloria.* Prov. 3. 16. Cur caelestis ille Agnus nihil de sinistra praesumpsit? sed solum librum de dextera accepit? Rupertus: valde notandum, quia veniens Christus in hunc Mundum per Incarnationis mysterium, nihil divitiarum, aut gloriae, de sinistra; sed tantummodo librum, sive igneam Legem, accepit de dextera; bonum exemplum cunctis praebens Discipulis & Credentibus in se: nihil divitiarum, aut gloriae, voluit, aut quaesivit, in hoc Mundo. Tertull. l. de pat. c. 7. libentes terrena amittamus, caelestia tueamur. Mendoza in 1. Reg. 4. Annot. 13.

*Atrium- ejice foras.* Apoc. 11. 2. Alcazar per atrium foris, seu externum, intelligit externa bona Fidelium, divitias, honores &c. Jubet DEUS Joanni, talia à se amovere, & relinquere Infidelibus, ac sibi rapientibus: servos autem suos contentos esse vult templò, altari, spiritualibus. Nota etiam: pretiosum habetur, quod mensuratur, quod non mensuratur, vile. Meiiri jubetur Joannes templum, altare; cum haec valde pretiosa sint, & saluti utilia: non atrium, quod datum est Gentibus. Intima templi scilicet bona spiritualia, solis Fidelibus erant pervia: at atrium exterius, scilicet bona temporalia, Fidelibus, & Infidelibus, communia. Sylveira hic.

Fieri non potest; ut, qui ea quarit, quae DEO congruunt, humana quoque non assequatur. - At omne studium in iis, quae ad vitam hanc pertinent, evacuat: de spiritualibus autem nulla ratio est: propterea terrena nobis pro voto non proveniunt. S. Chrysof. hom. 8. in ep. Ephes.

Talis est DEUS noster: cum nos viderit non affixos rebus saecularibus, & caducis, tunc nobis ea largitur. Cum nos viderit spiritualia proponentes, tunc & carnalia donat: antè autem nequaquam, nè quando avellamur à spiritualibus. S. Chrysof. hom. 20. in Hebr. 10.

## §. VIII.

*Terrena spernit, qui amat caelestia.*

Num. 1.

*Symbola.*

*Ex Veteri.*

*Immisit soporem.* Gen. 2. 21. Nè agrè ferret Adam, unam sibi de collis eripi; licet in ejus utilitatem fieret, immisit DEUS soporem, id est, ecclasiim, in Adam: ut hòc modò sopitus dolorem non sentiret. Potuisset quidem DEUS ei costam etiam non sopito sine dolore eripere: sed docuit nos, quòd, ut homines Mundum sine dolore relinquunt, sopiendi sint: iis scilicet suadendum, ut divina meditentur. Hòc enim caelesti somnò ab humanis rebus sine dolore, imò magna cum voluptate, avellimur. Si hoc somnò sopitus non es; non modò costam, sed nè duo quidem minuta, sine dolore extorferis. Diez. conc. 4. in festo S. Andrea Ap.

*Fenestram in Arca facies.* Gen. 6. 16. Intelligitur fenestra, per quam lux admittitur, caelumque suspicitur. Qui enim in funebri illo feretro homines illi, velut ante mortem sepulti, tam calamitosam vitam viverent sine ingenti illò solatio? quod caeli lumen praebere solet. S. Ephrem tom. 2. paran. 50. benè sentite de regno, ac paradiso; & mox res terrenas contemnetis. Ferdinandus hic.

*Ipsè verò claudicabat pede.* Gen. 32. 31. Jacob, qui Angelum tenuit, unò mox pede claudicavit: quia, qui verò amore sublimia respicit, jam in hoc Mundo duplicibus desideriiis incedere nescit. Unò enim pede innititur, qui solò DEI amore roboratur. Et necesse est, ut alius marcescat: quia, mentis virtute crescente, oportet procul dubiò, ut carnis fortitudo torpescat. S. Gregor. mor. l. 4. c. 30.

*Fuit vir unus.* 1. Reg. 1. 1. Perfectio viri in praconio ponitur unitatis: ut qui saeculum potenter despicit, mentem non dividat, solis supernis inhiet; ad ea tantum, quae de visione Conditoris sunt, aeterna gaudia suspiciet. Idem hic.

*Junior sumens Tobias de selle piscis &c.* Tob. 11. Et unde illa squama, & caecitas? ex stercore hirundinum cap. 2. 11. Excœcata mens terrenis sordibus quomodo sanatur? caelestium meditatione. S. Chrysof. hom. 66. in Joan.

in Joan. si quis in cœlum suspexerit; & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit; statim hanc vitam, multis plenam voluptatibus, contemnet, & nullius pretii esse existimabit. Confirmo ex piscis illius è quo fel, nomine, & proprietate. Ait enim Plinius l. 7. c. 32. Callionymum piscem, ad albugines abradendas, fellis succo conficere medicamen probatissimum. Græcè hic piscis Uranoscopus vocatur, hoc est, spectator cœli: Habet enim in capite lumen, quo fluctibus superior cœlum spectat. Eccl. 2. 14. *Sapientis oculi in capite.* S. Basilius hom. 10. in hexam. eis oculi sunt in capite, qui ea contemplantur, quæ in sublimi sunt. S. Chrysost. ad Gen. Saucius amore divinò aliis oculis videt præsentium statum. Escobar. t. 2. Persec. Chr. l. 6. sect. 2. obs. 5.

*Oculi tui columbarum.* Cant. 4. 1. Propter quid columbarum? Columbar, cum in terra pascuntur, oculos in terram non figunt; sed raptim videntes granum statim visum in cœlum attollunt. S. Thom. Vill. conc. 3. de assumpt. V.

*Spiritus levavit me, & assumpsit me.* Ezech. 3. 14. Mox addidit: *& abij amarus in indignatione Spiritus mei.* q. d. cum spiritus meus ad rerum divinarum contemplationem fuisset elevatus illasque gustasset; statim ea, quæ mihi prius dulcia videbantur, super mel amara judicavi Salmones marini, postquam dulcem aquam gustant, illiuc usque ad mortem permanent. Diez. conc. 1. D. 6. Epipha.

#### Ex Patribus, & aliis.

Habitatio tabernaculorum, expeditum, & absque ullis impedimentis indicat eum, qui festinat ad Deum. Orig. hom. 5. in Exod.

Qui magno feruntur pelago pavidi nautæ, placidam sibi met auram imprecari, fixa cœlo sidera respiciunt, terræque amissâ tenent cœlum; sedentesque ad clavum sideribus currunt. Erratica verò sidera sequi fugiunt; nè aut Syrtis naufragosâs incidant aut in regiones ignotas devedit, portus optatos nunquam attingant. S. Rupertus l. 3. in Joan. 2.

Sicut, postquam in montium verticem ascendimus, parva nobis, & urbes, & moenia, esse videntur; & formicarum more nobis viri super terram ire videntur: sic, postquam supra celsam philosophiæ cogitationem ascenderit, nihil terrenorum percillere poterit; sed parva videbuntur omnia, & divitiæ, & gloria, & potentia, & si quid aliud hujusmodi; cum cœlestia respicias. S. Chrysost. hom. 15. ad pop. Ant.

Cum volucrum natura sit, ut per aëra ferantur; nulla ibi copiosa suppeditatio efficere unquam, aut allicere potest, ut naturæ suæ obliviscantur: semper enim libertatem amant. Cujus rei indicium est, quòd omnes caveæ rimas omnibus penè momentis scrutantur; si fortè invenire viam possint, quâ in libertatem vindicentur. Quid per hoc nos docemur? nimirum ut nulla tanta rerum terrenarum copia sit, quæ hunc hujus vitæ carcere expen-

tendum nobis faciat; sed cogitemus semper cœlum nostrum esse domicilium, nostramque patriam. Isidorus Clarius l. 1. or. 57.

Cor cupidi est quasi vas transversum: deberet enim habere, sicut latitudinem suam in natura, sic in moribus superius ad divina & cœlestia. Sed è converso cupidus tantum latitudinem cordis, & intentionis habet ad terrena, vel delectabilia: & ad talia os cordis ejus hiat, & aperitur. Sicut ergo vase erectò conservatur in eo, quod ponitur, transversò effunditur; sic &c. Broymard Cor cupidi.

Augustus Thuanus auctor est, ad Henticum H. Galliæ Regem Bononiæ agentem, a latum esse ex India orientali ab homine incognito, & barbaro, lapidem stupendâ specie, & naturâ: videlicet lumine, & fulgore, coruscantem: quique totus ardere videbatur, splendore nullis ferè oculis tolerabili. Erat in eo mirabile, quòd terræ impatientissimus: si cooperiretur, sponte suâ, & vi factò impetu, confestim evolabat in sublime: contineri verò, includive ullò locò angustò, nullâ hominum arte poterat; nullâ forde inquinari. Figuræ species nulla erat certa, sed inconstans, & momento mutabilis. Contraclari se non patiebatur; sed, qui contrâ obfisteret, incommodum sentiebat. Ejusmodi lapidis qualitates, extra unam in constantiam, æmulari nos decet: transformari à claritate in claritatem, terram defugere, in sublime animò evolare; teneri, ac concludi, tam exiguis terræ limitibus, & ejus sordibus inquinari nefcios. Doultreman. l. 1. cap. 5. sect. 9.

Avis paradisiaca. Lem. *Terra commercia nescit. Nostra autem conversatio in cœlis est.* Philipp. 3. 20. Picinelli.

Num. 2.

#### Exempla, & Testimonia.

##### Ex Veteri.

*Ex omni ligno paradisi comede.* Gen. 2. 16. Adèd enim contemplatione rerum divinarum absorptus erat, ut vix recordaretur cibi; nisi ei DEUS comedere præcepisset. Diez D. 4. Quadr.

*Viditque in somnis scalam.* Gen. 28. 12. Jacobum ostensio felicitatis aternæ, terrenæ fecit immemorem. Nam benedictione patris ornatus, *de rore cœli, & de pinguedine terræ;* futurus Dux tribuum, & dominus; ablegatus in Syriam, mox prædicti, & propè jam traditi, principatûs incurius de pane solum, & veste, cogitat. *Si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem ad vescendum, &c.* Gen. 28. 20. Hucnè recidere patris auguria? *serviant tibi populi, & adorent te tribus.* Gen. 27. 29. Unde ergo speranti purpuram, regnaque meditantî, toga sufficit, & panis? *Vidit in somnis scalam.* Eâ subvectâ in cœlum scalâ mox Jacob descendit è folio. Quòd si somniata tantum aternitas, scepra Jacobum docuit fastidire? quid in nos aget aternitas diu cogitata? Oliva fer. 3. Pasch.

*Propitius sit mihi Dominus, nè faciam*

Ggggg 3

rem

rem hanc Domino meo Christo Domini. 1. Reg. 24. 7. Vides thronum ab eo despectum humanum? vide, quam ardentem cupiat divinum: Psal. 54. 7. *quis dabit mihi pennas, sicut columba? & volabo, & requiescam.* Quò involare desiderat? ad thronum illum, inquit Anastasius Sinaita l. 6. anag. cœlestium volucrum sex alas habentium. Volucrum desiderabat fieri, qui dicebat: quis mihi dabit pennas sicut columbæ, quæ descendit in Jordanem? & volabo, & requiescam in illa requie cœlestium volucrum sex alas habentium. Vel cum Seraphinis de desiderio certat, cum pompam despiciat humanam. Quam non cuperet volare ad alta, si æstimasset magni caudæ! Naxera in Jos. 15. §. 36.

*Ad te Domine levavi animam meam.* Psal. 24. 1. Levare, dicimus, sursum erigere. Ergo te terrena conversatione, vitiisque carnalibus, ad Deum dicit Ecclesiam levasse animam suam, contemplationem scilicet cœlestium rerum, quæ semper Dominum pius animus intuetur: quia facile humana despicit, qui divina conspexerit, Cassiodorus hic.

*Vidi impium superexaltatum - & transivi; & ecce non erat.* Psal. 36. 35. Quid illud est, quod transit iustus? ut ista cesset elatio? Cum videmus extolli impios, & in nimiam superbiam crescere; transeamus & nos mente, & intellectu, ab iis, quæ videntur & temporalia sunt; & transferamus intellectum nostrum ad æterna: & tunc omnis mundialis altitudo corruiat tanquam in nihilum. S. Gregor. Naz. or. 2.

*Quò laborat sub sole.* Ecclæ. 1. 3. q. d. ego Salomon, mentem elevans ad cœlum, ibiq; supra solem, vel in sole, meipsum spiritu constituens, indeque in terram despectans; ac videns omnes homines, hominumque labores, occupationes, & studia; video omnia esse vana, nulliusque utilitatis. Quare eorum miserus iis inlamo: ô miseri mortales! video opera vestra, vestras fabricas, urbes, provincias, regna, imò totam terram, esse instar puncti, & centri; si cum vasta cœlorum amplitudine conferatur: video vos velut formicas discurrere, laborare, satagere, ut pauca grana convehatis, & in futuram ætatem recondatis. Omnibus ergo, & singulis, inlamo: *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Cornelius hic. Iis, qui res terrenas in pretio habent, quia sunt Cosmographi, omnia hæc quæ in oculos incurrunt, magna videntur: sed iustus, cum sint Astrologi, totus Mundus puncto unico minor videtur. Jacobus Suarez S. 1. in Apoc. hæc est differentia inter Astrologum, & Geographum: hic, cum de terra agat, tanquam suæ scientiæ objecto, eam maximam esse describit; in regna, provincias, civitates, & oppida, dividendo. Astrologus autem, qui cœlum meditatur, & cujus astra pro objecto habet, affirmat, minimam stellam, quæ est in firmamento, universam terram magnitudine superare. Philipp. 3. 8. *existimo, omnia detrimentum*

*esse, propter eminentem scientiam JESU Christi.* Quæ est illa scientia eminentis? Astrologia divina: id paulò post dicit: *nostra conversatio in cælis est.* Philo Judæus: Nilus, fluvius celeberrimus, cœlum est Ægypti. Cur Ægyptus Nilum, rem tam fluxam, pro cœlo habet? Seneca l. nat. qq. in Ægypto nemo aratorum aspicit cœlum. Didacus Niss. Phœn. Grac. l. 5. c. 7.

*Fortis est, ut mors, dilectio.* Cant. 8. 6. Quia videlicet sicut mors corpus interimat; sic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ charitas occidit. S. Gregor. hom. 11. in Matth. 13.

*Ficus non forebit - ego autem in Domino gaudebo.* Habac. 3. 17. 18. *Super excessa deducet me victor.* v. 19. Ecce tibi media in jactura omnium bonorum? nil dolet iustus homo, nullam tristitiæ vocem promittit; quin gaudet, ob gaudia ventura. S. Cyprianus ad Demetriadem: vinea licet (fallat, & olea decipiat; & herbis siccitate morientibus, æstuans campus areseat. Quid hoc ad Christianos? quid ad Dei servos? quos paradisi invitavit, quos gratia, & copia, omnis cœlestis, expectat? Exultant semper in Domino; & mala, atque adversa, Mundi fortiter tolerant, dum bona, & prospera, futura prospectant. Isaac dum sub gladio alacer mortem expectat Gen. 22. 12. DEO gratam; meruit ab Angelo liberari, & parenti incolumis reddi. Sed Jephthæ filia, Judic. 11. 39. minimè liberatur ab Angelo; sed vitam amittit; ac orbem, & tristem, relinquit parentem. Quæ ratio hujus differentiæ? Anastasius Nicenus q. 36. nec pater erat dignus beneficiò Abraham, post illam incredulitatem, & de voto poenitentiam, & vestium dilacerationem, lamentationem; neque filia Isaaci vitæ, post impium luctum, & duorum mensium ejulatum; ut quæ judicaret, hoc sacrificium esse quavis calamitate gravius. Ille Deo placet, qui in jactura temporali propter Deum suscepta non solvitur in planctus; sed cœlestia spectans nullam temporalem calamitatem æstimat. Bæza t. 3. l. 14. c. 3. §. 19.

### Ex Novo.

*Assumpsit: cum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna Mundi.* Matth. 4. 8. Miser! malus vis esse; sed non potes; cupis tentare; sed nescis. S. Chrysol. l. 11. Quare? quia in montem celsissimum ducit, & à mundialibus rebus longissimè separat: Debuisset terrenis rebus inserere. Naxera in Jos. 18. §. 29.

*Beati estis, cum maledixerint vobis.* Matth. 5. 11. Et persecutio, & rapina bonorum, & famæ, honoris, & vitæ, jactura temporalis, potius lætitiæ, quàm dolori esse debent hominibus illis; qui sciunt, post hæc ad alia se perventuros gaudia, & vitam æternam, Bæza citatus antè.

*Domine, bonum est nos hic esse.* Matth. 17. 4. Unam stillam dulcedinis gustavit; & omnem aliam fastidivit dulcedinem. S. August. l. solil. c. 22.

Domine,

*Domine, da mihi hanc aquam.* Joan. 4. 15. Jam obliu illius aquæ, ad quam venerat hauriendam; & delectata salubritate illius aquæ vivæ, quæ offerebatur, petit humili verbò. Vilescunt cuncta terrena, & quasi oblivioni traduntur, cum cœlestium placet auditus; & cum ad ea erigitur animus. Sim. Cass. l. 11. cap. 1.

*Venit ergo, & tulit corpus JESU.* Joan. 19. 38. Non cogitabat, dives sum, & divitias amittere possum. Theophylactus. Unde illi tam illustris ausus? Scribit Lucas 23. 51. *expectabat regnum Dei.* Sylveira hic.

*Ascendit in superiora, ut oraret.* Act. 10. 9. Petrus, quæ sursum sunt, quærebat, non quæ super terram. Illuc ascendebat; ad illa tecta, ad illa fastigia, de quibus Dominus Matth. 24. 17. *qui in ad tecto est, non descendat, tollere aliquid de domo.* S. Cyrill. Alex. l. 9. in Ex.

*Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora.* Philipp. 3. 8. Dixit postea: *nostra conversatio in cœlis est.* v. 20. optimè inferitur: si est cœlestis conversatio, terrestrium erit contemptus. Diez D. 4. Quadr.

*Rapinam honorum vestrorum cum gaudio suscepistis; cognoscetes, vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Hebr. 10. 34. Hi illud Augustini experti sunt: ibi sit mens; & hic erit requies. O confusio Christianorum! homines paulò antè ad fidem Christi conversi ita æterna cœli bona amabant: ut, cum propria bona diripi viderent; non solum nullum ex eo dolorem, sed etiam magnam lætitiã, percipiebant. Nos verò, quorum jam fides senescit, quã animi molestiã, quã impatientiã, quò dolore, adversitates suscipimus? Diez conc. 1. in festo SS. Philippi, & Jacobi.

#### Ex Patribus, & aliis.

Qui sæculo renuntiãsse se meminit, nullum sæculi diem novit: nec tempora terrena jam computat, qui æternitatem de Deo sperat. S. Cyprianus l. de lapsis.

Si consideremus, fratres charissimi, quæ, & quanta, sunt, quæ nobis promittuntur in cœlis; vilescant animo omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia, supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium: temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quàm vita. S. Gregor. hom. 37. in Evang.

Si æternitatem diligimus, cuncta temporalia in usu, non affectu, possidemus. S. Gregor. hom. 29. de trib. portis.

Qui suspirat ad patriam, ei tormentum est peregrinationis locus; etiam si blandus esse videatur. Idem l. 8. ep. 70.

Qui domesticus Dei est, exul est Mundo: qui conversatur in cœlestibus, peregrinus est terris. S. Ambros. l. 7. in Ps. 118.

Ecce quid faciunt Sanctis mali! capillos radunt. *Sicut novacula acuta fecisti dolum.* Ps. 51. 4. Qui quidem capilli non superflue facti sunt à Deo in corpore hominum, sed ad aliquod ornamentum: tamen, quia sine sensu prædicuntur, illi, qui adhaerent corde DEO,

sic habent ista terrena, tanquam capillos. S. August. in Ps. 51.

Pecudes omnes terrenæ sunt: ob hoc inclinantur ad terram. Sed alia est planta cœlestis, homo: qui, quantum habitu figuræ, tantum dignitate, distat à pecoribus. Illorum facies deorsum flexa; tuum verò caput semper ad cœlum erigitur; oculi tui superna respiciunt. S. Basilius l. 9. hexam.

Tantò minùs in peregrinatione temporalia diligimus, quantò ardentius ad cœlestem patriam suspiramus. S. Laurent. Just. l. de casto conn. c. 1.

Quisquis veraciter bona credit esse invisibilia, debet procul dubiò fidei suæ efficaciam ex contemptu ostentare præsentium. Idem l. de regim. Prælat. c. 22.

Gustatò spiritu, necesse est desipere carnem: affectanti cœlestia, terrena non sapiunt: æternis inhiant fastidio sunt transitoria. S. Bernardus ep. 111.

Si cœlum desideras, nihil tibi in terra sit negotii: non enim finit ipsa ad cœlum evolare. S. Nilus cap. paræn.

#### §. IX.

#### Terrena amans spernit cœlestia.

Num. 1.

Symbola.

Ex Veteri.

*Venite faciamus nobis civitatem, & turrim; cujus culmen pertingat ad cœlum.*

Gen. 11. 4. Pyramis, & turris, in terra magna fundamenta, & radices, jacit, & per magnam spatium inferiora circumdat; at solò punctò tangit superiora: de supernis concupiscunt minima; de inferioribus, de terrenis, maxima. Inverte ordinem affectui tui, juxta situm, & mensuram, cordis: solò punctò terram attinge; & immensò spaciò tanges cœlestia. Arcones in Isã. 1. Disc. 2.

*Da mihi decoctione tritice.* Gen. 25. 30. In hoc contractu significatur, quòd reprobi propter lenticulam, id est, temporalia, vendunt æternam hæreditatem. Thren. 1. *dederunt pretiosa quæque pro cibo &c.* Hugo Card. hic.

*In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrig, & cepa &c.* Num. 11. 5. Quàm arduum sit vel divinas non fastidire delicias, vel non sitire terrenas; Filij Israël testati sunt: qui inter coturnices, & manna cepas concupièrunt serviles. Usque adeò placet Aegyptus, & cœlum despicit: ut cædio sit manna, si fluat è cœlo; & cepæ sint in deliciis, si prope Nilum proveniant. Olival. 4. Strom. §. Ego flos campi.

*Nec facias nos transire Jordanem.* Num. 32. 5. Ruben, Gad, & dimidia tribus Manasse; quæ habebant pecora multa, cupiunt manere in terra Galaad ad ripas Jordanis. S. Gregor. mor. l. 27. c. 7. qui jumenta plurima possident, Jordanem transire fugiunt: quia quos multa Mundi implicamenta occupant, habitationem cœlestis, patriæ non requirunt. Mendoza in 1. Reg. 6. 12. Annot. 19. Sect. 1.

Usquequò

*Uſquequò marceſis ignaviâ, & non intratis ad poſſidendam terram* &c. Joſ. 18. 3. Apparet, veriſſimum eſſe; præſentis habitacionis commoditatis averſiſſe animos omnium à propriarum poſſeſſionum cupiditate. Maſius.

*Anima ſaturata calcabit favum.* Prov. 27. 7. Anima divitum calcat favum: quia pro terrenis rebus ſpernit dulcedinem regni cœleſtis. Saloniſ hic.

Notandum, quòd per totum libelli hujus (Canticorum) textum, ſponſa ſemper in domo, vel in lectulo, vel aliò quolibet interiori locò, cum ſuo Dilecto manere concupiſcat: ipſe autem ſponſus ad forniſeca potiùs opera vinearum ſcilicet vel hortorum, amicam ſuam evocet. - Nè ſi cuncta temporalia proſperè curant, incolatu præſentis exiliù delectata, minùs cœleſtem patriam ſuſpiret. V. Beda l. 2. in Cant. 1.

#### Ex Novo.

*Villam emi.* Luc. 14. 18. Villa, bovis, uxor, cœnam clauſere vocatis; Mundus, Cura, Caro, cœlum clauſere renatis. Hugo Card. in Deut. 20.

*Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire.* Luc. 14. 20. Non rogat iſte, ſed impotentiam veniendi pro ratione offert: quia animus, carnalibus delectationibus deditus, tam eſt ratione alienus; ut non roget, rationem ſui haberi: omnino elongatur à ſpiritualibus. Cajetanus hic.

*Cœperunt ſimul omnes ſe excuſare.* Luc. 14. 18. Excusât ſe omnis, qui plus terrena, quàm cœleſtia, diligit; etiã ad cœleſtia ſe tendere dicat. Gloſſa. Notum eſt, quia per multos, qui vocati fuerant; & horâ cœnæ cœperunt excuſare; contemptores ſignificantur: qui plus terrena, quàm cœleſtia, diligunt: qui ampliùs rebus corporalibus, quàm ſpiritualibus, occupantur. Rupertus de offic. l. 12. c. 2.

#### Ex Patribus, & aliis.

Animo vacare non poteſt, qui de corpore ſollicitus eſt. B. Iſaias Abb. or. 15.

Corpus opacum oppoſitum corpori luſinoſo, cauſat umbram: & quânto magis eſt corpus opacum, tantò majorem projicit umbram. Cum igitur Deus ſit lux, omnis autem creatura terrena ſit opaca; patet, quòd qui aliquam creaturam amando inter ſe, & Deum, ponit, umbram facit: & quânto major eſt amor, tantò major eſt umbra. S. Bonaventura l. 113.

Amor terrenorum impedit ſalutem. Navis adhærens terræ ad portum non graditur; ſed periclitatur. Sic, qui terrenis adhæret per amorem, ad portum ſalutis non venit. Gemiani l. 9. c. 2.

Arbor plena fructibus, cœlò relicto, ad terram demittitur. Luna, cum maximè lucet, & plena eſt, maximè abeſt à ſole: ſic dives, cum plenus eſt opibus, cœlum non intuetur, Chriſtum ſolem non reſpicit. Hinc assignatis talentis, mox additur: *abiit*. Matth. 25. 16. Et filius prodigus, acceptâ portione ſubſtantiæ, ſtatim *abiit*. Luc. 15. 13. Nec enim Deum agnoſcit dives. Quare principes in folio cum ſedent, interjectam habent ſolij partem inter cœlum, & caput: quafi nihil illis cum cœlo ſit. Octavianus in Eccl. 5. 2.

Luna ecclipſata. Lem. *Alterius umbrâ*. A-

varus terram interponit ſibi, & vero ſoli; unde continuam patitur ecclipſim. Hugo Card. in Prov. 28. Sicut terrâ interjectâ luna lumen à ſole amittit; ſic animus obaubilatur interventu viliorum rerum. Lipſius Cent. miſcell. ep. 49. Picinelli,

Num. 2.

#### Teſtimonia.

##### Ex Veteri, & Novo.

*Transferunt in affectum cordis.* Pf. 72. 7. Secundum alios: *in picturam cordis*. Quia Mundi amatores non deſiderant, quod verum bonum eſt, & pulchrum; ſed quod ipſi ſibi pingunt, & fingunt, in corde ſuo perverſo, bonum, & pulchrum eſſe. Bellarminus hic.

*Veni ſeparare hominem ad verſus patrem ſuum.* Matth. 10. 35. Niſi ſeparemur à Sæculo non copulabimur Chriſto. Igitur ſeparari neceſſe eſt à viſibilibus; ſi volumus inviſibilibus ſociari: & ab homine; ſi Deo conjungi ſatagimus; non odiò, ſed ſpe conjunctionis ad melius. Sim. Caſſ. l. 9. c. 24.

*Peccavi in cœlum.* Luc. 15. 18. Quis peccat in cœlum? qui propter terram ipſum contemnit. Sim. Caſſ. l. 8. c. 40. Derelinquendo cœleſtia, peccavi in ea; præferens ipſis voluptatem corruptibilem; & præligens cœleſti patriæ meæ regionem famis. Quemadmodum enim in aurum peccare dicitur, qui illi plumbum præfert; ita & in cœlum peccat, qui illi terrena præponit. Titus Boſtrenſis.

*Demas me reliquit, diligens hoc ſæculum.* 2. Tim. 4. 9. Chryſoſt. neceſſe erat, ut diligens Sæculi voluptates dereliqueret eum, qui eas non amabat.

##### Ex Patribus, & aliis.

Eſſe quidem ſine delectatione anima nunquam poteſt. Nam aut inſimis delectatur, aut ſummis: & quânto altiori ſtudiò exerceatur ad ſumma; tantò majori ſallidiò torpeſcit ad inſima: quânto que acriori curâ inardeſcit ad inſima; tantò tepore damnabili frigefcit ad ſumma. S. Gregor. mor. l. 18. c. 8.

Corpus peregrinatur locis, anima peregrinatur affectibus. Si amaveris terram; peregrinaris à Deo: ſi amaveris Deum; aſcendis ad eum. S. Auguſt. in Pf. 119.

Neceſſe eſt, animam ad carnalia, & terrena, dejici; quæ, à ſpirituâli vita degenerans, ad cœleſtia non aſpirat. Bleſenſ. ep. 111.

#### Miſcellanea.

*Iſſachar aſinus fortis, accubans inter terminos* &c. Gen. 49. 14. Habitare inter terminos dicitur; qui ita ſpiritualia, & cœleſtia, curat; ut corporis, & neceſſarii alimentis, penitus non oblivſcatur: & ſic curat temporalia; ut non negligat æterna. Diez conc. 2. D. 1. Adv.

*Deorſum quaſi mala Punicæ faciès.* Ex. 28. 33. Hæc ex ſimbria: in fronte geſtabat laminam auream, in quâ in ſculptum erat nomen Dei ineffabile. Ex. 28. 36. Nomen Dei quod in fronte gerit, pietatem, & virtutem designat; at malogranata omnium rerum copiam. Pinna Ethol. 180.]

TITU.

## TITULUS IX.

### S. THOMAS APOSTOLUS.

**P**Lus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium Discipulorum profuit: quia, dum ille ad fidem palpando reducitur; nostra mens, omni dubitatione positâ, in fide solidatur. S. Gregor. hom. 26. in Evang. Hominem palpat, & Deum vocat. Si mille codices ederet, non ita Ecclesia profuisset. S. Thom. Vill. f. in octava Pascha.

*Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Joan. 11. 16. Ecce bonus commilito; qui ad probitatem & socios animat; & velut ignitus carbo alios extinctos nititur facere redivivos; & à mortis pavore jam factus extraneus alios invitet ad mortem. Dignum omnino ratus, omnes milites, si expedit, mortem subire cum Duce; maximè modicam illam catervam, post coelestis Ducis mortem, vitâ judicabat indignam. Propterea omnes hortatur ad mortem,

si ipse mori decreverit. Ac si diceret: quid nobis vita post Ducem? Estne pretiosior vita omnium nostrum, quam Ducis, & Domini omnium? quid eum sequi cunctamur, si vult ad bella procedere: ubi nos non antè præmittit; sed ipse primus vult habere congressum. Magna fidei, & amoris adhesio, erat in Thoma; qui timori mortis repudium dederat; animabatq; socios hujuscemodi timorem abjicere. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

Ardentis desiderii erat, non incredulitatis; quòd Condiscipulis suis, qui, ipso absente, Dominum viderant, ait: *nisi videro.* &c. Erat enim valde anxius, nè non & oculus frueretur eò, quod corde credebat. S. Gaudentius tr. de dedic. Basil. SS. 40. MM.

Vide Domini clementiam. etiam pro una anima se ostendit, & accedit; ut salvet eam. S. Chrysost.

## TITULUS X.

### TIMOR.

§. I.

*Timor in genere, bonus & malus.*

**T**Res filii Saulis in Scriptura propriis nominibus distinguuntur. I. Reg. 14. 49. Unus Isboseth, qui etiam erat Filius Saulis, prorsus tacetur, non nominatur. Cur? respondet Lyran. non nominatur Isboseth propter defectum magnanimitatis: quia fuit pusillanimis, & ineptus ad prælium.

*Nolite timere.* Matth. 10. 28. Considera, ut quid nobis in natura creavit timere mala carnalia. Non ut mala carnalia timeamus; sed ut, per timorem malorum carnalium, intelligamus; magis timenda esse mala spiritualia. Utpote scis, quia malum est timere dolorem carnis: per hoc intellige, quia pejus est, dolorem animæ pati. Scis, quia malum est, confundi coram hominibus: per hoc intellige, quia pejus est confundi coram Angelis: quantum enim Angeli meliores sunt hominibus; tantò confusio peior illa, quam ista. Sylveira hic.

*Peccantes coram omnibus argue; ut & ceteri timorem habeant.* I. Tim. 5. 20. Sicut meliores sunt, quos dirigit amor; ita plures sunt, quos corrigit timor. S. August. ep. 50. ad Bonifacium.

Fugitiva est mens subjecta terrori. Ennodius Dictione 1.

Metus Magister est idoneus. S. Gregor. Naz. Procem. de vita sua.

Aqua semper ima petit: & timor ad ima cogitationum deducit, & in inferioribus immoratur; atque loca horrenda, pavida, mente colustrat. S. Bernardus l. 1. D. 1. post. octav. Epiph.

*Polyanth. Sacr. Tom. II.*

§. II.

*Timor peior ipso malo, quod timetur.*

**O**mnis, qui invenerit me, occidet me. Gen. 4. 14. Putat Hieron. ep. 125. Ambros. l. 2. de Cain c. 20. Chrysol. sic l. 147. Ubi paricidali cepit terrore vexari, mortem petit: requiem credit, si pereat. Malebat mori, quam semper timere. Quam terribiles minæ! *maledictus eris profugus.* Sed Deus vult illum diu vivere, signo impresso, *ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum.* v. 15. Velloso in Judith. 5. Paræn. 22.

*Vidimus ibi monstra.* Num. 13. 34. Timentibus omnia videntur esse majora & pejora, quam sunt. Abul. q. 53. Non ita res se habebant, ut referebant, sed quia timor res mutat. Sylveira addit. in Matth. 1.

*Timuit ergo Elias; & surgens abiit.* 3. Reg. 19. 3. Ad minas Jezabelis fugit pavidus; & tamen sub junipero petit animæ suæ mori. v. 4. S. Chrysol. l. 147. melius existimavit mortem succumbere, quam timori. Mori maluit, quam timere. Velloso antè citatus.

*At timore inimici eripe animam meam.* Pl. 63. 1. Nonne brevius diceret, eripe ab inimico animam meam? dixisset; sed aliò sensu, qui Davidis generositati non congrueret. Si enim sit liber à timore inimici, se liberum ab inimico putat. Plus sæpe nos premit, & conturbat, timor inimici, quam illius gladius. Sylveira in Apoc. 6. 2.

*Non timebis à timore nocturno.* Pl. 90. 5. Bene dicitur, non timendum à timore nocturno; & non dicitur à morte: quia non ipsa tentatio afflictio est; sed magis timor ipsius. S. Bernardus f. 6. hic.

Hhh hh

§. III.

## §. III.

## Timor Dei.

*Illius laudes, præstantia, &c.*

**Beatus vir, qui timet Dominum.** Pf. 1. 1. Beatus vir, non qui multa novit, sed qui Dominum timet. Tutissima res est, nil timere, præter Deum. S. Laur. Just. lib. de ligno vitæ c. 1.

**Beatus vir, qui timet Dominum.** Pf. 111. 1. Hæc vera beatitas; quemadmodum alia omnia sunt vanitas, umbra, & tantummodo nomina; sive dicas divitias, sive potentiam, sive corporis pulchritudinem, sive vim pecuniæ. Sunt enim similia foliis cadentibus, & umbris prætereuntibus. S. Chrysol. hic.

*Quam magnus, qui invenit sapientiam, & scientiam! sed non est super timentem Dominum.* Eccl. 25. 13. Novem speciebus virtutum superadditur timor Dei: quoniam sicut novenarius numerus imperfectus est, quousque denariò suppleatur: ita omnis operatio virtutum medioeris est, sine timoris Dei perfectione. Rabanus. Inter volucres cæli maxima est aquila; & inter bestias terræ leo: inter filios verò hominum, qui timet Dominum. S. Ephrem, in illud attende tibi ipsi c. 7.

Timor Domini, fons vitæ, aqua, inquam, timor Domini est, etsi minus sapida; sed optimè refrigerans animam noxiis desideriis astuantem. - Sed divinâ virtute aqua mutatur in vinum; quando perfecta *charitas foris mittit timorem.* S. Bernardus l. 1. D. 1, post Oct. Epiph.

Aqua timor est; quoniam ab æstu refrigerat desideriorum carnalium. Idem, l. 54. in Cant.

## §. IV.

## Timor Dei letus, amabilis.

**Servite Domino in timore.** Pf. 2. 11. Brevis, & plena, communitio; quâ Domino Deo amabili timore servitur: nam sicut remissa securitas culpas admittit; ita timor desiderabilis delicta semper excludit. Et nè servitium Dei durissimum, aut tristissimum, fortè judicaretur, subjunxit: *Et exultate ei cum tremore*: qui timor Domini non ad miseriam, sed ad gaudium, ducit; quippe qui beatos efficit, & sanctos operatur. Cassiodorus hic.

*Venite filij, audite me; timorem Domini docebo vos.* Pf. 33. 12. Non est timor ille, qui formidetur, sed qui diligitur. Timor humanus amaritudinem habet; iste dulcedinem: ille ad servitium cogit; iste ad libertatem trahit: ille claustra metuit; hic cælorum regna patefacit. Idem hic.

*Letetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Psal. 85. 11. Qui in Deum hanc reverentiam habet, legitimam vitam complectitur: mater verò lætitiæ talis vita est. B. Theodoretus hic. Quid sit timor Domini, mirabili ordine declaratur. Nam in timore isto mundano præcedit prius causa periculi, aut alicujus angustie: in timore autem Domini præmittitur lætitiæ cordis; ut aliquis ad ejus timoris dulcedinem venire mereatur. Cassiodorus hic.

*Letabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* Psal. 118. 162.

Unde tanta lætitiâ? causam præmisit v. 161. *à verbis tuis formidavit cor meum.* S. Ambr. hic: bona trepidatio, si exultationem generat: qui enim trepidat à verbis Dei, postea exultat à verbis Dei. Pinna Ethol. 15.

*Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiâ.* Eccl. 1. 12.

## §. V.

## Timor Dei non sinit peccare, custodit legem &amp;c.

## Ex Veteri.

**Morte morieris.** Gen. 2. 17. Itanè? tam citò Deus optimus incurrit timorem, qui se Adamo patrem exhibuerat largitate rerum omnium? Sed legem dederat, nè comedas; & serpens jam serpebat ad perniciem hominis. Metu igitur magistrò egebat homo; ut suum Domino præstaret obsequium. Velloso in Judith 1. Paræn. 17.

*Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum.* Gen. 39. 9. Impotens quodammodo sibi videbatur: nec enim dicebat, nolo; sed non possum: fieri enim non posse videtur; ut, qui Deum timet, in eum peccet. Octavianus in Eccl. 1. 27.

*Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Ex. 32. 1. Quoties ab eo cessavit pædagogus virga, stultus puer ad eadem, vel similia, convertit idololatricæ flagitia. Rupertus l. 4. in Ex. c. 24.

*Post hæc percussit cor suum.* 1. Reg. 24. 6. Cùm David jure posset occidere Saulem, idque sine peccatò; abstinuit tamen, solùmque ut ostenderet, potuisse se, nec tamen voluisse illum occidere, abscidit oram vestimenti ejus. Quod factum quis unquam improbasset. Sed ipse, quia timebat Dominum, inquirens, quæ ei erant placita, timuit offendisse. Octavianus in Eccl. 2. 19.

*Constitu leges super eos.* Pf. 9. 21. Hebr. pone timorem. Nam vox Hebræa *Morrah*, timorem sonat, & *legislatorem*: timor enim legis custos. Non facile arceretur cupiditas, quæ metu caret, ait Clem. Alex. or. 1. Velloso in Judith. 1. Paræn. 17.

*Confige timore tuò carnes meas.* Psal. 118. 120. Sicut enim, qui clavos corpori infixos habet, doloribus pressus, non facile quidquã agere potest: sic Dei timore confixus, non oculo uti præter decorem, non manus ad nefarias movere actiones; non deniq; parvum aliquid, aut magnum, contra officium agere poterit. S. Basilius Cæs. serm. in principium Proverbiorum. Optima timor iste sagitta; qui configit, & interficit carnis desideria; ut spiritus salvus sit, S. Bernard. l. 29. in Cant.

*Qui Deum timet, nihil negligit.* Eccl. 7. 19. Deum timere, est, nulla, quæ facienda sunt, bona præterire. S. Greg. moral. l. 1. c. 2.

*Timor Domini expellit peccatum.* Eccl. 1. 27.

## Ex Veteri.

*Mulier timens, & tremens - venit, & prociat ante eum.* Marci 5. 33. Timore plena mulier, non fugit conspectum JESU; imò ad illum vadit. Quis hoc crederet de timore? nonne timor ipsissima fuga

fuga est ab eo, qui timetur? Et timor erat, & humilitas erat: nam timor humilis non fugit DEI conspectum; sed in illum inclinatur. Audi e contra superbi Adæ vocem Gen. 3. 10. *Vocem tuam audivi in paradiso, & timui; eò quòd nudus essem, & abscondi me.* Quia times Adam, fugis conspectum DEI? Imò potius, qui times, Deum conveni, fugientem detine; cum Davide clama: *ne declines in ira à servo tuo*: id est; licet iratus sis, tamen ad sis: quia enim te iratum timeo, requiro. Baeza t. 2. l. 10. c. 7. §. 7.

*Quòd erat ipse venturus.* Luc. 10. 1. Scientes enim Discipuli, quòd subsequeretur Magister, cogebantur, omni curâ iuncta exequi. Cajetanus.

*Ligavit vulnera ejus.* Luc. 10. 33. Per duas partes ligaminis vulnera constrinxit, dum per duos timores peccata compescuit. Servilis enim timor poenalis à peccatis prohibet; filialis autem timor sanctus ad opera bona monet. S. Honorius D. 13. Pent.

*Neque tu times Deum.* Luc. 23. 40. Sterilem socium, & jam igni applicandum; ut reviviscere, & fructificare, faciat bonus latera; dolens, quòd juxta misericordiae fontem pereat, timorem suggestit. Baeza t. 1. l. 1. c. 9. §. 8.

## §. VI.

*Timor Dei dat robur fortitudini junctus.*

**U**bi est timor tuus, fortitudo tua? Job. 4. 6. Sicut in via Sæculi audacia fortitudinem; ita in via DEI audacia debilitatem, parit: & sicut in via sæculi timor debilitatem, ita in via DEI timor fortitudinem gignit. S. Gregor. mor. l. 5. c. 13.

*Deum time - erit irrigatio ossium tuorum.* Prov. 3. 7. 8. Irrigatio, id est, medulla, juxta illud Jobi 21. 24. *medullis ossa illius irrigantur.* Lyran. medulla ossium, est robur, & constantia, in adversis. S. Gregor. Naz. or. 20. S. Basilium comparat Achilli; quem fingunt Poeta educatum à Chirone Centauro; ab eoque enutritum medullis leonum, & cervorum. Longè enim melius, sanctiusque, educatus fuit S. Basilium à timore Dei, quasi pedagogo; ab eoque, & sanctam audaciam leonum, & pium pavorem cervorum, hausit, & suxit. Cornelius hic.

*Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.* Prov. 30. 30. Timet tamen ignes, rotas, teste Plinio. Ità tu non time homines, sed aeternas Dei poenas. Pinna Ethol. 19.

*Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit.* Eccl. 34. 16.

*Replevit eum spiritus timoris Domini.* Isa. 11. 3. Non enim quoscunq; repleverit, capaces alterius rei esse plenitudo timoris finit. S. Paschaf. l. 3. in Matth. Si anima repleta est spiritu timoris Domini, non potest alium timorem de terrenis in se recipere. Sylveira in Act. 2. Reliqua Spiritus dona super hominem requiescunt: at timor Dei ita hominis cor replet; ut nullum omnino locum humano timori relinquat. Pinna. Eth. 19.

*Polyanth. Sacra. Tom. II.*

*Dominus de Sion rugiet - & fortitudo filiorum Israel.* Joel. 3. 16. Quomodo rugiens Dominus, fortitudo dicitur populi sui? Tremet, coram, & terra; & homo, pulvis, & cinis, Deo tonante roboratur? Nimirum nunquam fortitudo validior, quàm ubi altissimus rugit. Oliva l. 11. Strom. §. Dominus de Sion.

## §. VII.

*Timor Dei omnem alium timorem pellit. Ex Veteri.*

**N**olite timere. 1. Reg. 12. 20. *Timeo Dominum.* v. 24. Samuel Israelitis timorem humanum abstulit, & intulit divinum. S. Laur. Just. de ligno vitæ de timore c. 2. timor hominum peccandi differt facultatem & operationem; non autem aufert: sed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem.

*Occidisti, & possedisti.* 3. Reg. 21. 19. à facie Jezabelis fugit trepidus Elias, & mori optat. Tum quod mirere, redux ex Oreb, Achabo, infesto vultu occurrit, tonatque: *occidisti.* Itane fulgurat contra regem, dudum à regina profugus? nonne occidit, ut ait, Rex innocentem? ergo & vatem jugulabit. Unde nunc tantum ei animi robur? Vidit in Oreb divini furoris profuentes. 3. Reg. 19. 11. *post spiritum commotio, & post commotionem ignis &c.* Grandioris spectaculo stragis regum lanienam timere dediderat. Oliva fer. 3. Pasch.

*Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Pf. 13. 5. si timor Dei adesset, timorem hominum abjicerent. S. Basilium in Scholiis hic: illic trepidaverunt timore; instar leonum audentes fuerunt; & more leporum timuerunt: cum enim Deum non timerent, hominem timuerunt. Pinna, Eth. 19.

*AAA. Domine Deus! nescio loqui.* Jer. 1. 6. Horruerat suspitione tantum Jeremias, nè in vatem designaretur à Deo; prævertitq; inaugurationem ejulatibus. Mox non loqui tantum; sed evellere jubetur, & dissipare: nec tamen, aut onus detrectat, aut pavet. v. 19. *bellabunt adversum te, & non prævalebunt.* Non prævalebunt? in puerum elinguem, trepidantem? Fuere hæc olim: jam vir est; & nihil meruit. Cur? Levârat in cælum oculos; videratq; hine virgam, inde ollam. v. 11. 13. Qui Dei iram contempletur, ridet hominum fulgetra. Oliva fer. 3. Pasch.

*Tollite me, & mittite in mare.* Jon. 1. 12. Ipse contra se profert sententiam: cur non timet periculum mortis? dixit causam: *Dominum Deum cæli ego timeo!* v. 9. Zeno Veron. s. de timore: Jonas, timens Dominum, spontaneum non timeret adire naufragium. Sylv. in Act. 4. 19.

*Ex Novo, Patribus, & aliis.*

*Nolite timere eos &c.* Matth. 10. 28. Cui Christus D. tam exactè excludit à suis Discipulis timorem tyrannorum? Author Imperf. hom. 25. in Matth. nè fortè, propter timorem mortis, non liberè dicatis, quod audistis; nec fiducialiter prædicetis in omnibus, quod in aure audistis. Non solum enim est proditor veritatis, qui mendacium loquitur; sed etiam ille, qui non liberè pronuntiat veritatem, quam liberè pronuntiare oportet. S. Bernardus l. 13. in Pf. 90.

H h h h h a

replet

repleat vos Spiritus timoris Domini; & timor alienus locum non habeat in vobis. S. Zeno Veron f. de timore: Timor sine fine studet timere; nē quid, præter Deum, quem diligit, timeat. Sylveira hic.

Tutissima res est, nihil timere, præter Deum. S. Laur. Just. de ligno vitæ c. 3. de timore.

## §. VIII.

## Time Deum; non homines.

**P**rinces, persequuti sunt me gratis; & à verbis tuis formidavit cor meum. Pf. 118. 161. Ergo terreni reges Christianos gratis persecuti sunt? sed quid subiecit, attende: & à verbis tuis &c. Habuerunt quidem & illi verba minantia: expello, proscribo, occido, unguis torqueo, ignibus torreo, bestiis subigo, membra dilanio. Sed tua potius me verba teruerunt: nolite timere eos, qui occidunt corpus. Matth. 10. 28., ab his verbis tuis formidavit cor meum. S. August. hic.

**Q**uia ad te, Domine, oculi mei. Pf. 140. 8. Non curo, quid minentur, qui circumstant: ad te Domine oculi mei. Plus figo oculum meum in promissis tuis, quam in minis eorum. S. August. hic.

**N**on in die festo. Matth. 26. 5. Sceleratam eadem perpetraturi, non Deum, sed homines, timebant. Timuerunt enim: quia tunc offerenda erant omnia sacrificia in lege decreta; nē populus propter homicidium à sacrificiis abstereretur, perderentque ipsi lucrum, quod ex sacrificiis habebant. Theophylactus hic.

**D**e ore ejus procedit gladius ex utraq; parte acutus. Apoc. 19. 17. Gladius temporalium potestatum non est acutus, nisi ex altera parte: non enim habent potestatem, ut aliquid, ultra corpus puniant. Cavete autem ab eo, cuius gladius ex utraque parte acutus. *Nolite timere eos* &c. Matth. 10. Diez fer. 5. D. 2. Quadr. Deum non homines, timeas. Si hominem times; ab eo ipso, quem times, derideberis: si verò Deum, hominibus quoque venerabilis eris. S. Chrysof. hom. 84. in Matth. 26.

Hoc unum extimescamus, nē quid vehementius, quam Deum, timeamus. S. Greg. Naz. or. 22.

Fridericus III. Imp. rogatus, quos è suis haberet charissimos? respondit: eos, qui non magis me, quam Deum, timeant. Cornelius in Ex. 18. 21.

## §. IX.

## Timor Dei ob beneficia.

## Ex Veteri.

**T**erribilis est locus iste! Gen. 28. 17. Pavescit iustus propter magnam Dei misericordiam. S. Chrysof. hom. 54. in Gen. Quia scalam contempnit; angelos ascendentes, & descendentes; auditque, multas sibi benedictiones promitti. Pinna Eth. 16.

**D**icite Deo: quam terribilia sunt opera tua Domine! Pf. 65. 3. Opera Dei hac ratione arbitror esse metuenda; ut consideremus, ut possit nobis accidere; si illa majestas, quæ Mundum miserata respexit, peccatis nostris facientibus reddatur offensâ. Deus enim pro nobis dignatus est homo fieri. Cassiodorus hic.

**R**ex potens, & metuedus nimis. Eccl. 1. 8. quorsum, inquires, hæc connexio Creatoris, & timoris? ut intelligamus, reddendam nobis rationē; si hoc beneficiò malè utamur. Octav. hic.

*Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientia: & replebit eum spiritus timoris Domini.* If. 11. 2. Eum, qui Deum ignorat? minime: sed eum, -qui est plenus sapientiâ, scientiâ, & intellectu. Ubi enim hujusmodi, dona, ibi residet timor. Sylveira in Luc. 5. 8. q. 15.

*Attendite ad me &c.* Isa. 51. 4. mirabile, dum Scriptura agit de mysteriis Redemptionis, statim simul agit de finali Judicio: & brachia mea populos judicabunt. v. 5. Sic etiam Pf. 96.

1. Dominus regnavit, exultet terra &c. loquitur de gloriosa Resurrectione Christi; statim subdit: *nubes, & caligo, in circuitu ejus.* Act. 1. 11. *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.* Et B. Petrus, probans adventum Spiritus Sancti, citavit Act. 2. 18. 19. testimonium Joëlis: effundam de Spiritu meo. -mox loquitur de Judicio finali: 2. 30. *& dabo prodigia in caelo, & signa in terra. sol convertetur in tenebras &c.* Quæ causa hujus reï voluit docere Deus, quod tor, & tanta, mirabilia, quæ pro nobis operatus est, in rationis die magis nos ipsa accusatura sunt, si ex illis fructum capere non curamus. Diez Spiritus S.

*Consideravi opera tua, & timui.* Habac. 3. 2. scil. timor iste affectuosus, & pius est; dulcedinem habens, non amaritudinem; spem generans, non diffidentiam creans. Cassiodorus in Pf. 65.

## Ex Novo.

*Tolle grabatum tuum videntes turbati muerunt.* Matth. 9. 8.

*Et Zacharias turbatus est.* Luc. 1. 12. Turbatur Zacharias; quia tantò oraculo judicabunt se indignum: nam iustus, cum ad se oculos convertat, cœlestia dona timeat. Sylveira hic.

*Et misericordia timentibus eum.* Luc. 1. 50. Quare misericordia hîc præmittitur timentibus eum; non verò credentibus, vel sperantibus, vel diligentibus? q. d. qui ex ipsa benignitate sumunt occasionem non contemnendi, seu non offendendi, sed potius timendi Deum; in hos fructus hujus misericordiæ. Incarnationis derivabitur. Idem hic q. 9.

*Acceptit omnes timor.* Luc. 7. 16. postquam resuscitatus mortuus. Minæ Dei magna sunt illius beneficia: at beneficia ejus nihilo leviores minæ. Si adolescentem vivum voce exanimasset, nil novi putarem, quod timeant. Sed cogita, magis timendum Deum beneficium, quam scelerum ultorem, justum, ac rigidum. Didac. Niss. D. 15. Pent. §. 5. Dum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum. S. Gregor. hom. 9. in Evang.

*Nec, tu times Deum.* Luc. 23. 40. Timens ipse Deum timere docuit socium. Sed unde hic timor? ex misericordia intensâ Christi morientis, ex sanguine copiosè proficiente, ex profundis vulneribus &c. Pinna Eth. 16.

*Nunc judicium est Mundi &c.* Joan. 12. 31. Hoc est: nunc pro Mundo sententia profertur, nunc tyrannicâ servitute diaboli liberabitur. Quare, Domine, singulare hoc beneficium *judicium* vocas? nonne meliùs diceres: nunc singulare quoddam Mundo dabitur beneficium, misericordia specialis; quæ nec humanis, nec angelicis, linguis valeat explicari, Significat,

ficat, hoc beneficium iis, qui ex eo fructum recipere noluerint, esse iudicium. Timendum, quod majora Dei beneficia sunt nobis majora iudicia; nisi ex illis fructum percipere studeamus. Diez. conc. 1. Exalt. S. Cruc.

*Apparuerunt illis dispersa lingua tanquam ignis.* Act. 2. 3. Magnò Ecclesiæ bonò Spiritus S. sua largitus est munera sub specie ignis: ut quò quis de munere effertur, eò timeat sub igne. Petrus Cell. lib. de pan. c. 7. periculosè exultat de dono, cui major accrescit sollicitudo cum dono. Baeza t. 1. l. 5. c. 8. §. 11.

*Multa prodigia, & signa, per Apostolos in Jerusalem fiebant, & metus erat magnus in universis.* Act. 2. 43. Quid timetis? cum Filium Dei, ejuſq; Apostolos, videtis mortuos suscitare? Si vivos occiderent, ratio timendi videretur: cum autem benè aliis eos facere cernitis, pavetis? Sic utiq; quia hæ misericordiæ sunt iudicia ingratissimè timenda. Diez. conc. 1. in Exalt. S. Cruc.

*Omne datum optimum descendens à Patre luminum.* Jacobi 1. 17. Cur à Patre luminum? non potiùs à Patre misericordiæ, pietatis? ut, qui illud accipit, Iudiciū moneatur: *Jerusalem scrutandam in lucernis*, & lumine. Soph. 1. 12. *Ad domo Dei*, à Christiano, quem toties Eucharisticus Iesus inhabitavit, *incipiet Iudicium Dei.* 1. Petri 4. 17. Novarinus Agn. Euchar.

*Gladius ex utraq; parte acutus.* Apoc. 1. 16. Cur stellas gladium jungit? Richardus à S. Viç. postquam dixit, quòd habebat septem stellas in dextera sua: ut hoc eis esset ad consolationem; statim addidit, quòd *gladius ex utraq; parte acutus de ore ejus exibat*; quod esset ad correptionem: ei illud conferret fiduciam de gratia, illud incuteret terrorem de negligentia: ut inde sumerent securitatem, nè deſerarent; hinc cautelam, ut semetipſos emendarent. Stellis ingerit spem, gladio timorem, ut cum spe, & timore, viventes cautos se habeant; ut timore poenas fugiant, spe ad præmia animentur. Sylveira hic.

*Qui non timetis te Domine? quia solus pius es.* Apoc. 15. 4. Putabas, dicturum, quia iustus est? Non: misericordia enim, & pietas, timorem nobis debet incutere. Octavianus in Eccl. 1. 8.

## §. X.

## Varia de Timore Dei.

*Nequaquam morte morietini.* Gen. 3. 4. Cum vult diabolus introducere peccatum in mentem hominis, conatur abicere timorem Dei, & suæ iustitiæ, vel sui rigoris. Et introducere curat præsumptionem impunitatis, & securitatem malam. Et tunc aperit ostia mentis omni iniquitati, & malitiæ, & vanitati. S. Thomas Aqu. hic.

*Conſige timore carnes meas: à iudiciis enim tuis timui.* Pl. 118. 120. Si jam se habere timorem testatur illis verbis: *à iudiciis tuis timui*; quid est, quòd adhuc timorem petit? *conſige.* S. August. respondet, duplicem esse timorem; servilem, & filialem; filialis succedit servili. Unde ait: da mihi castum timorem; ad quem petendum me tanquam pædagogus timor ille

legis perduxit; quò timore à iudiciis tuis timui. Pinna Ethol. 18.

Unam sapientiam novi, timere Deum: S. Gregor. Naz. orat. 13.

Quid tam timendum? quàm potestas; cui non potes resistere? quàm sapientia; cui non abscondi potes? Poterat minùs timeri Deus, alterutro carens. Nunc autem perfecte oportet, timeas illum: cui nec oculus deest videns omnia; nec manus, potens omnia. S. Bernardus 1. 5. de consid. ad Eugen.

## §. XI.

## Timor hominum.

## Num. 1.

## Facile prævaricatur.

*Egrediamur foras.* Gen. 4. 8. Facile Cainò foret pacè cum Abele servare; si Deum, quòd parentes, metu coleret. Cur enim fratrem trahit in agrum? nisi ut scelus patret procul à parentum oculis. Metus igitur parentum Caino frænum erat, nè fratrem opprimeret; sed leve frænum. Abiit à parentibus, & timore; & scelus facit. Velloſo in Judith. 5. Paræn. 25.

*Qui timet hominem, cito corrumpet.* Prov. 29. 25. Nihil magis timendum, quàm quòd timor humanus præponatur divino. S. Greg. hic.

*Puer meus jacet.* Matth. 8. 6. Servus paralyticus jacens, est communis hominum timor: semper enim timor servitutem habet. Servitus quoq; timoris calcibus angitur; nisi ubi libera charitas servit: sed paralyſin patitur, cum dissolvitur. Sim. Cass. l. 5. c. 12.

*Volens illum occidere, timuit populum.* Matth. 14. 5. Facile deviat à iustitia, qui in causis, non Deum, sed hominem, pertimescit. S. Chrysol. f. 127.

*Herodes metuebat Joannem.* Marci 6. 20. Non in veritate timebat Joannem: sed melius sibi; si timuisset Dominum in Joannes: quoniam *timor Domini expellit peccatum.* Eccl. 1. 27. Sim. Cass. l. 3. c. 3.

*Plebs universa lapidabit nos.* Luc. 20. 6. Cum isti non negant hominis virtutem; non Deum verentur, sed plebem. Abstinent multi à malo, non Dei amore; sed metu, sed timore plebejò. Ac per hoc, quicunq; venerunt in hanc miseriam, seu animi parvitatem, ut aspectum hominum, atque iudicium, & quod ab eis adversum posset infligi, magis, quàm Deum, verentur; immunes à crimine non sunt. Sim. Cass. l. 11. c. 50.

*Si quis ambulaverit in die, non offendit.* Joan. 11. 9. Lux invisibilis, & rationalis. Mundi est rectus amor; nox verò amor obliquus. Lux veritas; nox falsitas, est: lux timor Dei; nox timor Mundi; in quo ambulans scandalum passus est. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

*Si hunc dimittis, non es amicus Cesaris.* Joan. 19. 12. Mollior erat Pilatus, & minimè pro veritate constans. Timebat enim calumniam, nè accusaretur, quòd rebellem absolvisset. Non enim doctus erat dicere: terrorem vestrum non timebo; sed Dominus ipse mihi erit timor. Isa. 8. 12. Theophylactus hic. Majorem timorem se ingerere putaverunt Pilato, terreni de Cesare, ut occiderent Christum, quàm superius,

Hhh hh 3

perius,

perius, ubi dixerunt: *nos legem habemus* v. 7. Timuit magis humanam, quam divinam, perdere gratiam. Vix peccatum ullum committeretur; si Deus aequè, ac homines, timeretur. Pinna Eth. 19.

Facile deviat à justitia, qui in causis, non Deum, sed hominem pertimescit. Hic timor, peccati difficultatem differre potest; auferre non potest voluntatem. Unde etiam, quòd suspenderit à crimine, avidior redit ad crimen; & aestuat animò, quousque perficiat, quod cogitat, malum. Solus Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, perpetuum tribuit facultatem. S. Chrysol. l. 127.

Timor hominum peccandi differt facultatem, & operationem; non autem auferit: sed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem. S. Laur. Just. de ligno vitæ. c. 2. de timore.

Num. 2.

*Non timendi homines motiva.*

*Ingressus tu, & seniores Israel, ad Regem Egypti.* Ex. 3. 18. ait Deus ad Moysen. Et tamen Ex. 5. 1. dicitur: *ingressi sunt Moyses & Aaron &c.* Cur non ingressi etiam illi Seniores? Respondent Hebræi apud Lyranum: quia ducti regis timore foris manserunt; ad divinum præceptum violandum audaciores, quam ad vultum regis sustinendum. Sed non evasit hic timor impunitus: nam Deus postea in monte Sinai solum Moysen ad se ingredi voluit. Ex. 24. 2. *Solus Moyses ascendit ad Dominum; & illi non appropinquabunt.* Equum enim erat, ajunt Hebræi; ut, qui humano timori succubuerant, à divino conspectu arceantur. Mendoza in 1. Reg. 12. Annot. 12. Sect. 1.

*In Domino confido - quomodo dicitis animæ meæ - quoniam ecce peccatores intendunt arcum.* Pl. 10. 2. 3. Suadetur Davidi fuga in montes, ob armatas inimicorum manus: ille tamen non timet; quia peccatores. Euthymius hic: hac de causa ego confido: quia peccatores sunt, qui pugnant adversum me. Peccant enim, dum me temerè insequuntur, & morte afficere volunt. Sylveira in Act. 23. q. 5:

*Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo?* Pl. 26. 1. Nullum hominem formidabo: timor enim fecerat Domini, nè quemquam alium timere potuisset. Cassiodorus hic,

*Nè timeas eos, - quoniam increduli &c.* Ezech. 2. 6. Sed, quæ adferuntur, timorem potius incutere, quam excutere, videntur. Merito tamen jubetur non timere: quia, cum sint impii, citò peribunt. Theodoretus hic: causa idonea est ad contemptum eorum, qui insidiosè aggrediuntur, improbitas: legis enim violatores, & à divina ope vacui sunt: neq; utique hujusmodi viri metuendi; quamvis more scorpionum lédant, Sylveira in Act. 23. q. 5.

§. XII.

*Timor salubris de salute, perseverantia.*

*Ex Veteri.*

*Noli timere Abram: ego protector tuus sum.* Gen. 15. 1. Dicebat Deus, hostibus devictis. Quid ultra metuendum? Respondet

Pererius: verisimile est, timuisse Abram; nè quatuor illi reges, à se debellati, tantæ cladis dolore, ac pudore, vehementius ad vindictam inflammarentur, & majoribus coactis viribus redirent. S. Leo l. 6. de Epiph. habet & pax nostra sua pericula. S. Bernardus l. 1. in Pl. 90. monebat suos Monachos: lætos vos esse volo; sed non securos. Did. Nis. ser. 2. D. 4. Quadr. §. 5.

*Semper, quasi timentes super me fluctus, timui Deum.* Job. 31. 23. Cur timorem, ex divina justitia ortum, cum timore ortò ex procella comparavit? Credo duplicem ob causam. Unam tradit S. Gregor. mor. l. 21. c. 17. quia sicut tempestas cogit ad merces in mare projiciendas, ut vita servetur; ita divinus timor impellit ad bona temporalia abjicienda, nè spiritualia amittantur. Secunda causa: quia sicut, coortà tempestate, omnes in preces, & vota, ac lacrymas, solvuntur; omnes præterita crimina abjurant, nova vivendi exordia promittunt, divinam gratiam humiles precantur: ita timore divinò percussis, etiam sancti viri, hæc omnia exequuntur. Mendoza in 1. Reg. 12. annot. 4. sect. 1.

*Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Pl. 1. 1. Non dixit, qui non abit, sed qui non abiit: nondum enim ille, qui in vita est, beatus est prædicandus, ob exitum incertum: sed qui vices suæ functionis, & vocationis, semel absolverit, vitamque sine certò clausurit; hic jam beatus dici tuto potest. S. Basil. hic.

*Servite Domino in timore, & exultate eicunt tremore; nè quando precatis de via justa.* Pl. 2. 11. Exultate, sed cum tremore; ut semper humiles teneatis, quod accepistis: nè quando irascatur Dominus, superbis, sibi, quod habent, tributibus; non illi, à quo habent, gratias agentibus. S. Aug. l. 2. de Verb. Ap.

*Si constant adversum me castra, non timebit cor meum.* Pl. 26. 3. Timeo tibi, quia parum times. Qui castratides, ab una prosternebris foemina. Oliva t. 2. Strom. §. sint lumbi vestri &c.

*Fulgura in pluviam fecit.* Pl. 13. 4. 7. Minas ad misericordiam flexit. Quando tibi minatur Deus, per Prophetam, & per Apostolum, & times; nonne confusio terruit te? sed cum pœnitendo corrigeris, & agnoscis, hoc misericordiâ fieri; in pluviam vertitur fulguris terror. S. August. hic.

*Nè glories in crastinum.* Prov. 27. 1. Adhuc Judas forsitan dignus erat cum cæteris seorsum accipi, & audire, quæ passurus erat Magister. Adhuc nesciebat Judas, quid esset facturus. Sed nec aliquis nostrum scit: nam & omnibus dicitur, *nè glories in crastinum*; nec enim scis: quid superventura pariet dies. Orig. hom. 11. in Matth.

*Beatus homo, qui semper est parvidus.* Proverb. 18. 14. Nè mireris, quòd timuerit justus, in quo Spiritus Sanctus erat: non enim erat vacuus coram latrone viator; & quomodo non timeret? - Tua modò securitas, aut de inopia, aut te ignorantia est. Aut enim deest, quod possit auferri; aut deesse jam putas, quod possit auferri. Time vel ob hoc ipsum; quia te invenis non timentem. Sylveira in Luc. 2. q. 29.

Ante

*Ante mortem non laudes hominem quemquam.* Eccli. 11. 30. Quia adhuc est in pugna. Hugo Card.

*Angelus Domini - fecit medium fornacis quasi ventum voris flantem.* Dan. 3. 50. Timor Domini est sicut ventus, de quo Dan. 3. quia fornax, omnium desideriorum carnalium temperatur, & refrigeratur, per Dei timorem, S. Bonaventura Diat. Sal. c. 32.

### Ex Novo.

*Ipsè verò dormiebat.* Matth. 8. 24. Nè, si vigilaret, Apostoli non timerent. Observat id S. Ambrosius in Pl. 43. remissos, & negligentes, esse non passus; quasi de Domini presentia, & favore, securus, somno corporis se compoñit. Mendoza in 1. Reg. 12. Annot. 4. Sect. 1.

*Videntes turbæ timuerunt.* Matth. 9. 8. Objectum timoris est malum. Timoris servilis objectum est malum poenæ; timoris autem filialis objectum, est malum culpæ. - Quid ergo, vel cur timuerunt hæ turbæ? cum potius exultare, & amare debuerant. & quod ex tanto miraculo perpenderunt sanctitatem, & dignitatem Christi: quem licet nondum putarent Deum; certissime tamen tenebant, eum esse virum valde sanctum, divinâ potestate agentem. Sicque consideratâ sanctitate ipsius, propriam pravitatem clarius atenderunt; & se Christi presentiam reputabant indignos; eamque offendere verebantur. Dion. Carth. hic.

*Vade post me Sathana.* Matth. 16. 23. Nulli Sanctitatis culmini sanctitas in hac vita. Ecce Petrus paulò antè à Christo beatus prædicatur; & modò Sathanas dicitur. Nullus, crede, sanctitatis gradus est, à quo non possis cadere. Baeza t. 2. l. 12. c. 7. §. 5.

*Contristati valde coperunt singuli dicere: nunquid ego sum Domine?* Matth. 26. 22. Ecce innocentes Condiscipuli ad significationem facinoris expaveſcunt; & omnes sibi, non editò impietatis auctore, formidant. Contristati enim sunt, non de conscientia reatu, sed de humana mutabilitatis incerto: timentes, nè minùs verum esset, quod in se quisq; noverat. S. Leo l. 7. de Pass.

*Sint lumbi vestri præcincti.* Luc. 12. 35. Væ discincto! porro is caret cingulo, qui periculum non perpendit. Nolo meticulosum in acie militem: sed ante pugnam nihil aequè triumpho præludit, quam metus. Domine, tecum paratus sum in carcerem, & in mortem, ire, dicebat Petrus Luc. 22. 33. Parum timuit; & ideo cecidit: si timuisset, non negasset. Tyronem, deglutientem montes & maria exforbentem, gutta una submerget. Audacia, quæ periculum sprevit, periculata est, cum adiit pugnam. Oliva t. 2. Strom. §. sint lumbi &c.

*Lucerna ardentes in manibus vestris.* Luc. 12. 35. Sic ardens, & lucens, nondum in domo se esse confidat, ubi sine omnî timore ventorum accensum lumen solet deportari. Sed meminerit, se esse sub dio; & utraq; manu studeat operire, quod portat &c. S. Bernardus l. 3. in Vigil. Nat. D.

*Invenit in templo vendentes.* Joan. 2. 14.

Quid hinc discimus? nisi quantâ cum circumſpectione agere in hac vita debeamus. Nam si in sacro templo, in loco sanctitatis, tot ex parte hominum offendimus pericula; quomodo inter pericula inveniemus securitatem? Did. Niss. fer. 2. D. 4. Quadr. §. 1.

*Hec dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua.* Apoc. 2. 1. Isto dictò stellas ejusmodi salutis timor constringit: quia videlicet sic stellæ istæ in cælo sunt, ut eas teneri oporteat, nè cadant in terram: nam de cælo plurimæ stellæ ceciderunt; & de stellis facti sunt principes tenebrarum. Dicendo igitur, qui tenet septem stellas in dextera sua, stimulat terribiliter innuit, ut, qui se existimat stare, videat, nè cadat. 1. Cor. 10. 12. non enim stat suâ virtute, sed dexterâ Domini continente. Rupertus hic.

*In conspectu sedis tanquam mare vitreum.* Apoc. 4. 6. Quid denotat vitreum illud mare? Respondet Bacharius: memento frater, quod caro sumus. Mare illud, id est, forma Baptismi, quod B. Joannes vidisse se dicit, vitreum esse descripsit: & idè in nobis citò periclitatur, aut frangitur. Hæc ille ep. de recip. lapsis. Magnò mysteriò Baptismus mare dicitur, sed vitreum. Mar quidem ut copia gratiæ, quæ ex illo in nos redundat, significetur: vitreum verò; ut indicetur, quàm facile frangatur. Quid fragilius vitrò? quid fragilius gratiâ? Unus cogitatus turpis, aut qualisvis materiæ gravis, adjunctum habens consensum; potest demoliri plurimorum annorum merita, virtutes, opera bona. Did. Niss. fer. 2. D. 5. Quadr. §. 5.

### Ex Patribus, & aliis.

Qui præsumit, minùs veretur, minùs præcaveat, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est; præsumptio impedimentum timoris - si præsumamus; neque timendo, neque cavendo, difficile salvi erimus. Tertull. de cultu scem. apud Niffenum Pol. cælor. p. 1. 7. c. 6.

Anchora cordis, est pondus timoris: & plerumque fluctu cogitationum quatitur; sed per disciplinæ suæ vincula retinetur. Neque hunc tempestas suæ inquietudinis ad naufragium pertrahit: quia in divini amoris littore perfecta charitas adstringit. Unde necesse est; ut, quisquis ad contemplationis studia properat, semetipsum priùs subtiliter interroget, quantum amat? Machina quippe est mentis vis amoris; quæ hanc, dum à Mundo extrahit, in alta sustollit. S. Gregor. mor. l. 6. c. 17.

Quantò magis innumeris affluebat meritis, tantò magis timebar, & tremebat. Et hanc à Præceptore disciplinam disciebat. Etenim ille in tertium raptus cælum, & in paradysum delatus, & auditis ineffabilibus verbis, & mysteriorum talium factus particeps; cum orbem totum percurrisset, tanquam alis quibusdam fultus, ad Cor. 1. 9. 27. scribens dicebat: vereor, nè forte, cum aliis prædicaverim, efficiar ipse reprobus. Si verò Paulus, post talia, & tot, officia, timet; qui dicere potuit: *mibi Mundus crucifixus est &c.* multò magis nos timere oportet; & tantò magis, quantò majora fuerimus beneficia consecuti. Tunc enim diabolus

diabolus seuior efficitur, tunc magis efferatur; cum viderit nos cum diligentia vitam nostram disponentes, cum viderit virtutis onera conquisita, & magnos acervos; tunc magis inferre naufragium studet. S. Chrysof. hom. 1. ad pop. Ant. de Timotheo.

Timor Domini, est sicut bonus iustitarius, qui perimit maleficos, & suspendit. Nam sicut illi, qui tenent iustitiam, in locis patentibus ponunt patibulum, ad timorem latronum: ita timor Domini &c. Et sicut ille iustitarius crucifigit latronem: sic timor Domini nititur crucifigere carnem, tanquam pessimum animæ latronem. S. Bonaventura dicit, Sal. de don. Spir. S.

Nè dicas, consenui in virtute; nec timeo:

semper timenda conversio est; multosque, qui virtute consenuerunt, uno temporis momento Sathanas in barathrum detraxit. B. Theodoretus Studita f. 2.

Ad tyrones timor spectat; ad perfectos vero amoris possessio. B. Theodoretus Ep. in Pl. 110.

Me miserum! me miserum! quia nondum à gehennæ igne sum liber: nondum mihi constat, quò hinc sim profecturus. B. Isaias Abb. orat. 14.

Una securitas est; nunquam esse securum: quatenus timor se observans reddat semper paratum; donec securitas succedat timori, non timor securitati. Gvarricus Abb. f. 3. de Adv. Domini.

## TITULUS XI. TRIBULATIO.

§. I.

Figura, & Symbola.

Ex Veteri.

**A**gyptus interpretatur *coangustatio*, & *tenebra*, sive tribulatio. S. Bonaventura f. 1. D. 2. Epiph.

*Ego dormivi* &c. Psal. 3. 6. Noctem sæpius calamitatem Sacrae literæ appellant: etenim velut in tenebris vivere existimant eos, qui in res admodum tristes incurrunt. B. Theodoretus Ep. hic. Solet in divinis Scripturis adversitas designari per noctem. S. Bernardus f. 6. in Pl. qui habitat.

*Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*. Psal. 37. 3. id est, tribulationes multæ. Bellarminus hic.

*Et erit tempus eorum in secula*. Psal. 80. 16. Tempus vocat calamitates: sic enim Syri, & Hebraei, nominare consueverunt. B. Theodoretus Ep. hic.

*Quia decoloravit me sol*. Cant. 1. 5. id est, tribulationum ardor. V. Beda in Cant. l. 2. c. 1.

*Hyems abiit*. Cant. 2. 11. Sicut arbores fructificant abscedente hyeme, sic fructum habet homo post tribulationem. S. Bonaventura in Luc. 21.

*Surge Aquilo*. Cant. 4. 16. In Aquilone adversa Mundi designantur. S. Isidorus hic.

*Torcular calcavi solus*. Isa. 63. 3. Torcular in Scriptura proverbialiter significat vehementem oppressionem, cladem, stragem: qui enim illam subeunt, perinde sunt ac uvæ, quæ premuntur in torculari. Cornelius hic.

*Ecce ego cibabo populum istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis*. Jer. 9. 15. Fel, & absynthium, afflictionis, & amaritudinis, sunt Symbolum. Cornelius hic in hierogl.

Ex Novo, Patribus & aliis.

*Tollat crucem suam*. Luc. 9. 23. Omnes passiones appellatione Crucis designantur. Cajetanus hic.

*Nonne duodecim sunt horæ diei?* Joan. 11. 9. Rupertus, Maldonatus, Toletus, per horas diei accipiunt tempus divinæ protectionis, sub quâ nullum timendum est malum: per horas autem noctis tempus permissionis divinæ; quâ postea ingentes homini ruinæ obveniunt. Baeza. t. 2. l. 8. c. 3. §. 10.

*Percussio latere Petri excitavit eum*. Act. 12. 7. Lateris percussio, est temporalis correctio: aeterna enim percussio non in latere tantum, sed in omnibus membris fit. S. Bonaventura f. 5. D. 1. Adv.

Omnes tribulationes huius Mundi, poenitentia sunt data à Papa Jesu. S. Vinc. Fer. f. 5. D. 16. SSS. Trinit.

§. II.

Tribulationum utilitas.

Figura, & Symbola.

Ex Veteri.

*Videbat, quòd rubus ardeat, & non combureretur* Exod. 3. 2. Ignis in rubo, est tribulatio in homine sancto, humili & mortificato: talem enim non urit, non lædit; sed illustrat, & roborat. Scribit Philo in vita Moysis: per Dei potentiam rubum incorruptibilem factum in medio ignis; imò, aesi fonte desuper manante rigaretur, viridiorem visum. Hæc est enim, inquit S. Chrysof. omnipotentia Dei vis, ut per contraria operetur contraria: scilicet calorem per aquam; frigus per ignem. Cornelius hic.

*Erat aqua quasi murus à dextra eorum, & lava*. Ex. 14. 22. adversa sunt iustorum defensiones. S. Bernardus f. 8. Art. 1.

*Si dixerit puero: ecce sagittæ intræ te sunt, tolle eas; tu veni ad me: quia pax tibi est, & nihil est mali, vivit Dominus*. 1. Reg. 20. 22. Quisquis sagittæ morbi tangeris, non paveas. Ecce Dei sagittæ intræ te sunt: pax tibi est, & nihil est mali. Drexelius Gymnas. pat. part. 1. c. 4. §. 2.

Ponam

*Ponam eam desertam; non putabitur, & non fodietur; & ascendent vepres, & spina.* Isa. 5. 6. Quomodo, qui vineam putant, atriangunt ejus vites, & externè continent; ut majori cum temperamento procedat ad perferendos utiles fructus: ad eundem modum contingit animæ assiduitate tribulationum incurvatæ; quodammodo in se contrahitur, sèque humiliter demittit; atque ad diligentiorè custodiam retrahitur. E contrario anima, quæ indulgenter, ac remissè, vivere sinitur; perinde atque vinea quædam neglecta luxuriat, & sylvescit. S. Basiliius M. apud Ramirez. in ep. 3.

*Tritura mea, & filii area mea.* Isa. 21. 10. Tritura idem est, quod filij area, puta frumentum, & grana trituratione in area excussa. Ità vocat, ut ait S. Hieron., Jerusalem, & Judæos; qui ab Assyriis, & Chaldæis, fuerant triturai, calyati, & attriti. Moraliter hęc, & Jerem. 51. 33., & sæpe alibi, tritua vocatur tribulatio; tribulatio enim dicta est à tribula; quati segetes tribulantur ut grana excutiantur. Disce, quàm sit utilis tribulatio: quæ facit nos filios area Dei; dum nos à paleis secerit; ut dicamus cum S. Ignatio M. frumentum Dei sum; dentibus bestiarum molar, ut panis Christi mundus inveniat. Cornelius hic.

*Gradiar super eam, succendam eam pariter.* Isa. 27. 4. Quòd parum fructificat in prosperitate: vel, ego faciam eam fructificare in adversitate. Et tangit consuetudinem quarundam regionum: in Alverina enim in aliquibus locis, ità quândoque multiplicantur vineæ, quòd quasi in sylvas degenerent: & tunc homines comburunt eas; & optimè fructificant. Hugo Car. in Pf. 79.

#### Ex Novo, Patribus, & aliis.

*Veniet ab oriente, & occidente &c.* Luc. 13. 29. Per Orientem designatur ortus Nativitatis; per Occidentem occasus mortis; per aquilonem, qui est ventus durissimus, duritia adversitatis; per austrum favor, & lenitas prosperitatis. - Ab aquilone veniunt, qui, necessitate urgente, vel adversitate monente, compunguntur; & redeunt ad salutem; de quibus ait Salvator. Luc. 14. 23. *compelle intrare.* Dion. Carthuf. hic.

*Scientes, quòd tribulatio patientiam operatur.* Rom. 5. 3. Notat Hugo Card. Paulum hic innuere, patientiam esse velut terram fructiferam, quam tribulatio operatur, id est, colit, arat, exercet; ut fructum ferat meritorem: eò sensu, quo Gen. 2. 15. Adam dicitur positus in paradiso, ut operaretur illum. Cornelius hic.

*Misit falcem suam acutam in terram, & vindemiarit vineam terra.* Apoc. 14. 19. Mala, quæ Deus hominibus immittit, sæpe cum putatione vitis comparantur. Rationem dat Clem. Alex. l. 6. Strom, qui putat vitem, licet specietenus videatur malum moliri contra vineta; bono ipsorum imprimis consulit: nam si luxuriari sinatur, sylvescit vitis. Pinna

*Polyanth. Sacr. Tom. II.*

Eth. 139. vinea, dum jugatur, erigitur: & recisa non minuitur, sed augetur. Ità sancta plebs; dum ligatur, exiit; dum humiliatur, attollitur; dum reciditur, coronatur. S. Ambros. in Luc. 20.

Animus, nò arumnarum priùs, miseriarum, discriminum, quasi quædam conspersus nive fit; nequaquam se induit in florem; aut fructificat. B. Theodoretus Studica f. 68.

Dum nos omnipotens Deus molestiis exerceri permittit, atque ad melioris vitæ statum, interveniente tristitiâ, provehit; mirò consilio super futuram frugem gelu, & glaciem, gignit: ut electus quisque in hac vita, tanquam in hyeme, adversa ventorum, & frigorum, toleret: & velut in æterna serenitate postmodum fructus, quos hic conceperit, demonstret. S. Gregor. mor. l. 28. c. 15.

Mos est Deo, ut non liberet à periculis viros virtute claros; neque à tentationibus liberet: sed in ipsis tentationibus tantam suam declaret virtutem; ut tentationes ipsæ eis fiant occasio lætitiæ magnæ. S. Chrysof. hom. 62. in Gen.

Dum cernis, arborem nucis percussioibus fieri fecundiorè, quod & in olea quidam experti sunt; discis, afflictiones utiles esse ad pietatis fructus ferendos. Sic, cum cernis, vitem, quæ sylvescere permittitur, minùs aptam esse ad uvas producendas; doceris, hanc terrenarum rerum nimiam copiam impedimento esse, quòd minùs in Evangelica præcepta planò gradu ingrediamur. Indorus Clar. l. 1. orat. 56.

si sine causâ veteres sapientes finerunt, solem pasci aquis amaris, lunam verò dulcibus: quia justus amara quærit, afflictionibus delectatur; stultus verò voluptates, & dulcia, appetit. Diez Patientia.

Globus. Lem. *Percussus elevor.* Picinelli. Rosa inter cepas. Lem. *Fragrantior.* Idem.

#### §. III.

#### Tribulationes ferendi

#### Motiva

#### Inevitabilis necessitas.

*Collocavit Dominus ante paradisum & flammam gladium.* Gen. 3. 24. Ad quid? nam, ejectò Adamò, nullum legimus, qui illum proficisci cogitaret: nec locus modò certus est, ubi paradisus fuerit. Voluit Dominus ostendere; non debere nos petere reditum ad paradisum terrestrem, post peccatum. Quid erat in paradiso? frigore, fame, mœrore, labore, dolore, carere. Et nò iterum revertamur ad hoc inquirendum; cum contrarium nobis in poenam peccati datum sit; ideò tantam custodiam ad paradisum collocat: quia voluntas Dei est, ut continuò agamus poenitentiam. Diez conc. 2. in festo S. Jacobi.

*Misit eos in carcerem principis militum.* Gen. 40. 3. In eodem simul carcere arumnas tolerant duo, qui peccaverunt, eunuchi; & Joseph innocens: ut scias, in hac vita neminem posse sine cruce vivere. In monte Calvaria duo latrones, & Jesus innocens. Alvarez Illustr. 128.

lii ii

Domine

*Domine Deus virtutum! quousque irasceris super orationem servorum tui? Plal. 79. 5.* Id est, quousque durivultu mecum ages? nunquam me malorum expertem facies? Respondet versu sequenti ad suum solatium: *cibabis nos pane lacrymarum, & potum nobis dabis in lacrymis, in mensura.* q. d. cur delecto tribulationes? quæ mihi sunt pro cibo, & potu. Sicut enim vita corporis cibo, & potu, sustentatur; sic vita Spiritus ærumnis. Pinna Ethol. 10.

*Pater! in manus tuas commendo spiritum meum.* Luc. 23. 46. Tres in loco eodem, & horâ eadem, crucifixi: innocens unus, videlicet Christus; alter poenitens laico bonus; tertius oblinatus in peccato, laico malus. Hinc colligimus, neminem in hac vita sine cruce posse vivere. Bellarminus. 1. de 7. Verb. Chr. c. 7.

*Scio tribulationem tuam.* Apoc. 2. 9. Hugo Card. q. d. Salvator: *tuam*, quæ tibi competit ex natura corrupta. Job. 14. 1. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis.* Quasi homo in hac mortali vita nil tam suum, nihil tam proprium habeat, quàm tribulari. Ramirez in ep. 2.

In parabola feminis post cespitem arefacti persecutionum figurat ardorem. Tertull. 1. contra Gnost. Ferunt, regionem quandam ferarum omnino expertem esse: nam id de Creta memoriæ proditum est. Aliam rursus esse, quæ nullis nivibus conspergatur. At nemo est mortalium, qui gloriari possit; se hujus vitæ laborum, & ærumnarum, expertem è vita discessisse. S. Gregor. Naz. Carm. de humana vita.

Quemadmodum fieri nequit, ut aliquis super terram effugiat hunc aërem; ita impossibile est homini, quamdiu in hoc Sæculo est, tribulationibus, atque molestiis, non tentari. S. Ephrem. adh. 4. ad Novitium Monachum.

Tribulationes præsentis sunt tributum, ad quod solvendum natura est obligata. Idiota l. 2. contempl. c. 1.

Si homini videtur dura via virtutis, quia continuo oportet nos pugnare adversus diabolum, & Carnem, & Mundum; recordetur, quòd, quamcumque elegerit vitam, etiam secundum Mundum; multa illi adversa, tristia, incommoda, laboriosa; patienda sunt. Idem Regula 1.

§. IV.

**Tribulatio honorifica, magnificientia, pretiosa.**

Num. 1.

**Figura, & Symbola.**

*Nè appropies huic.* Ex. 3. 5. Imaginem laborum, & ærumnarum, populi Israelis in Ægypto, ut ait Philo, & Theodoretus; seu, ut mavult Hieron. cruciatuum, persecutionum, nascentis Ecclesiæ, protendens Dominus, flammantem rubum ostendit. Rem, ut propius videret Moyses, accedebat. Et ecce vox: *nè appropies huic* &c. Cur jubetur caleos tollere? Theodoretus q. 7. ut religiosorem hac ratione

Moysen redderet: quia ex divinitate pollutæ spiri-  
tæ, crux, dolores: qui debeant tantâ pene reverentia, & religione excipi, quanta augustissimâ Sacramenta. Bæza t. 1. l. 4. c. 1. §. 5.

*Ad dexteram Orientis calamitates meæ illico surrexerunt.* Job. 30. 12. Gilbertus Abb. l. 38. in Cant. jure ventum illum dextrum vocavit, qui nihil ei quaesivit sinistrum inferre: quia etiam coronæ gloriæ viro iusto comportavit augmentum; quando virtus probata enituit, & quando provocata excrevit. Dextrane fuit illa dolorum congeries? impetus Chaldaorum contra greges? ruina filiorum? Omnia dextra, omnia ad dexteram Christi illum impulerunt. Sylveira in Apoc. 1. 9.

*Lava ejus sub capite meo* &c. Cant. 2. 6. Id, quod prius aestimat, & de se latibunda jactat, lava est sponsi? à lava omne metuendum procedit: illinc rigor, & verbum asperum tonabit: illic maledicti constituentur. Sed servo DEI in Mundo omnia fausta. Idem ibidem.

*Progressus pusillum procidit in faciem suam.* Matth. 26. 39. Cum tribularis, sic te compara, quasi sanctissima contrectes. S. Anselmus hic: procidit in faciem suam: ut humilitatem mentis ostenderet habitu corporis; & patem humilationem eos doceret, quibus eadem Passio immineret. Discute modò; quò te componas affectu, ad ærumnas excipiendas? an eâ desperatione, quâ ignavi immunitia mala formidant? an velut nocentissimi rei supplicia deprecantes? an verò ut fidelis Christi asclea, prostratus humi reverenter, & humiliter, suscipit sacramenta. S. Gregor. Naz. orat. in S. baptisma: Præclare nobiscum ageretur, si humeros sanctitate imbuerimus, ac purgaverimus; ut Christi crucem tollere queant, non quibuslibet humeris facile tollendam. Ut pectus, animusque, purgari, & sanctitate parari, jubetur, ad corporis, & sanguinis, Domini sacramentum excipiendum: sic humeri parentur necesse est; ut laboris cruciformis, & ærumnarum, excipiat sacramenta. Bæza t. 1. l. 4. c. 1. §. 5.

Linum de terra natum, multis attritum pressuris ad nivei candoris honorem, & levem subtilitatem, pervenit. Grossum, & inglorium, è terra confurgit; sed inter manus prementium opificum subtiliatur, & candescit. Tribulationem ergo Domini in lineo corporali advertimus. Rupertus offic. l. 2. c. 23.

Jacent duo lapides in artificis officina: alter, quò sterni pavementum debet, vix ferrò fricetur: alter verò qui effingi debet in Christi simulachrum, tunditur, inciditur, diu torquetur: nec superficiem solum scalprum evadit; sed in viscera mergitur saxi, & nihil non vulnerat. Verum, qui non diu tortus est, pedibus proterendus exponitur: qui diu vexatus; locatur in aris, auto vestitur, gemmis coronatur, thure colitur. Oliva l. 9. Strom. §. Erat quidam mendicus,

Num. 2.

Num. 2.  
Testimonia.

## Ex Veteri.

*Tulit quoq; ligna holocausti.* Gen. 22. 6. An non satis fuit, quod Isaac esset immolandus? cur insuper ligna, quibus exurendus, ei imponuntur? ubi paternus amor? Voluit pater, ut, tolerando laborem, ipsam mortem mereretur. Pinna Eth. 32.

*Tulitque annulum de manu sua* &c. Gen. 41. 42. Joseph pro compedibus carceris à rege auream catenam accepit. Pro servili vinculo, annuloque ferreo, regium annulum. Pro habitu sordido, indutus est stolâ byssina. Pro antri squalore amplum imperii currum. Denique confer omnes honores cum his, quæ prius passus fuit; & videbis, nihil fuisse passum, quod non, ut notat Rupertus, insigniter ei remuneratum sit. Primum pro odio fratrum accepit gratiam regis, & principum ejus: pro exilio exaltationem: pro labore manuum in servitio, annulum aureum: pro pallio, quod ei adultera detraxerat, stolam byssinam: pro compedibus torquem auream: pro eo, quod vinculis ministrasset, princeps constituitur: pro carceris humilitate currum regium: pro contemptu honorem; pro nomine servi honorem regium: pro contempta adultera uxorem prænobilem. Si ita DEUS suorum labores remuneratur in hac vita; quid faciet in futura? Cornelius hic.

## Ex Novo.

*Nobiscum Deus.* Matth. 123. Satagendum, esse cum illo, qui vult esse nobiscum: sine quo nos nihil, aut miseri, sumus. Præanticipavit ipse nobis socius fieri; & omnibus modis factus est socius, exceptâ societate peccati. Quarit vicem; renemur illam omnino rependere, si simus socii ejus *communicantes passibus.* 1. Petri 4. 13. Sim. Cass. l. 2. hic.

*Transfiguratus est.* Matth. 17. 2. Eundem fuisse putat montem Cajetanus, ex quo illum affines ejus præcipitare tentarunt. Supra montem fundatur gloria, ubi periclitabatur vita. O quam gratis oculis aspicere debent justi loca illa, in quibus ob Dominum passi. Mons Oliveti, in quo passionis ignominiam inchoavit, ubi procedit in faciem; fuit ascendenti in cælum gloriosus. Naxera in Jos. 13. §. 23.

*Assumpsit duodecim Discipulos suos secreto,* & ait illis: *ecce ascendimus Jerosolymam* &c. Matth. 20. 17. Cur secreto? Auth. Imp. quia semper pretiosior thesaurus in melioribus vasis includitur. Ita Christus flagra sua, probra, & crucem, non apud quosvis, sed apud Discipulos deponit. Did. Niss. f. 4. D. 2. Quadr. §. 7.

*Sustinete hic, & vigilate mecum.* Matth. 26. 38. Sustinet quis cum Christo, cum tadium non patitur ex repentinis eventibus; & ex subitis casibus animâ melius roboratur, neque succumbit imminente periculo. Multa sunt, quæ *Polyanth. Sacra. Tom. II.*

homines sustinent: & multi sunt sustinentes; sed non cum Christo. Sim. Cass. l. 13. c. 11.

*Abiit trans mare.* Joan. 6. 1. 3. Rupertus advertit, ubi Joannes dixit Christum abiisse trans mare, mox addit: *subiit ergo in montem Jesus.* Ex quibus præmissis inferitur illud *ergo?* Respondeo: bona est consequentia. Nam, si mare est Symbolum laborum, afflictionum; & mons, ob suam altitudinem, typus gloriæ, & quietis; bene inferitur: *abiit trans mare. Ergo subiit in montem. Propter quod exaltavit illum Deus, quia factus est obediens usque ad mortem.* Philipp. 2. 8. 9. Did. Niss. D. 2. Quadr. §. 4.

*Ut manifestentur opera Dei in illo.* Joan. 9. 3. Poterat cæcus dicere: quid Domine? ad hoc homines in arumnis ponis, ut gloria tuâ manifestetur? Verum, ô cæce, quam magna est misericordia, & gratia, Dei; vilissimum terræ vermiculum in instrumentum gloriæ suæ assumere! Virga Aaron. Num. 17. 10. baculus erat, sicut & aliorum pastorum: verum quia assumpta à Deo fuit in mirabilem suorum instrumentum, in Arca testamenti reconditur: tantique æstimatur, & colitur; ut nemo, præter summum Sacerdotem, illam semel in anno perspiceret. Gloriare ergo in infirmitatibus tuis; ut manifestetur in te virtus; & gloria Christi. Diez. fer. 4. D. 4. Quadr.

*Quoniam digni habitu sunt.* Act. 5. 41. Apostoli pati, & flagellari, habent pro magna dignitate. Christus eos elegit in Apostolos; supremam Ecclesiæ dignitatem. Luc. 6. 14. *Dedit eis potestatem curandi infirmos, ejectionis demonia.* Marci 3. 15. Et tunc non dicitur, quod gauderent, quia digni habitu sunt tantâ dignitate. Sed modo: *quia digni habitu sunt pro Jesu contumeliam pati.* Acti tolerantia contumeliâ ipsi in majori honore, & dignitate sit; quam quæcunque aliâ, etiam suprema, dignitas, Sylveira hic.

*Obsecro vos ego vincetus in Domino.* Eph. 4. 1. S. Paulus, grandia persuasurus, ut sibi auctoritatem faciat, titulum hunc apponit. Alius dixisset, ego Dei princeps &c. At Paulus ait: *ego vincetus in Domino.* Præclarum honoris nomen, in carcere, in vinculis, esse; ubi fures, & latrones, attinentur. An non ob hoc potius te contemnent Ephesii Paule? cur non scribis: ego Doctor gentium? Cur non, ego; qui ad tertium raptus sum cælum? Cur vincula jactas? Quam hæc insignia tibi reverentiam procurabunt? Apud filios sæculi nullam: apud filios Dei maximam. Stenigelius t. 3. c. 39. div. judic.

*Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Gal. 6. 17. Quis vulnera persequentium timeat, quæ in stigmata Domini convertuntur? Sanè Paulo hæud impressa dixerò ab Angelo stigmata; sed plagas à carnificibus inflictas, puto, tam splendide honestasse vocabulâ. Ergo, qui nos vulnerat, id præstat, quod S. Francisco singulari privilegio præstitum est à Seraphim. Cum Paulus vulnera sua, Stigmata Domini, dicit; palam testatur, vel Deum ipsum in servis suis laniari; vel ita esse pretiosum *stigma*

stigma in carne Christiani; ut eò, velut suò, Dominus gloriatur. Nisi dicas, ideo à Paulo tortorum verbera, stigmata Domini vocata: quod inflictorum à carnificibus vulnere fabricer, & author, sit Deus. &c. Oliva l. 12 Strom. §. Ego stigmata. *Ego stigmata-porto.* Non dixit, habeo; sed *porto*: tanquam aliquis de trophæis glorians, signisque regalibus. S. Chrysof. hic.

*Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis; sed ut etiam pro illo patiamini.* Philipp. 1. 29. Vobis donatum est, quasi præmium pro Christo, quem diligitis; non solum ut in eum credatis; sed etiam, ut pro illo patiamini, ad cumulum gloriæ. S. Anselmus hic.

*Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Apoc. 3. 12. Præclarum sanè operæ præmium ferebat ille, qui multos perfectus fuerit labores; scilicet *faciam illum columnam*, hoc est, novis eum laboribus onerabo; & ingentis templi molem humeris ejus imponam. Pinna Eth. 52.

#### Ex Patribus, & aliis.

Non caput ita splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua; ut catena ferrea, quæ propter Christum fertur. S. Chrysof. l. 8. in ep. ad Ephes.

Hoc sit mihi thesaurus desiderabilis, & super omnia amabilis; scilicet super me pœnas, & opprobria, congregare; & intimo corde diligere, qui me in hoc facto adjuvent: omnem consolationem vitæ præsentis horrebo. S. Laur. Just. de incend. div. am. c. 2.

B. Petrus Dam. l. 1. de exalt. S. Cruc. vocat Crucem victorum coronam. Nisi præmium crucis intelligas, nescies, quid dicat; ita appellet: quia Deus non reperit lauream, quæ cornet eos, qui in hac vita passi sunt adversa; quam ut eis novam Crucem veteri addat. Did. Niss. f. 4. D. 2. Quadr. §. 8.

✓ Tribulatio est pretiosus, & præclarus, annulus; quò Deus animam sibi desponsat. Pati pro Deo, res tanta dignitatis est; ut homo jure se reputare debeat indignum eò honore. Blosius ep. ad quendam amicum. Si centum annis, & flexis genibus, Deum oremus; non fumus digni, ut Crucem unicam accipiamus. Henricus Suso lib. dialog. c. 10.

Veni filia, & impono tibi coronam factam ex septem lapidibus pretiosis. Quid verò est corona? nisi probatio patientiæ, quæ ex tribulationibus conflatur, & à DEO coronis adornatur. Revel. S. Brigittæ l. 4. cap. 124. V. C.

Crucis, & adversitates, sunt Christi insignia, & vestis nuptialis. B. Cathar. Bon. Lyraus de imit. C. P. Arboris S. Crucis nec foliolium permittere debemus in terram cadere. Hæc erat Balthazaris Alvarez S. J. ad afflictos omnes familiaris adhortatio. de Ponte cap. 28.

§. V.

#### Tribulatio melior prosperitate.

Num. 1.

#### Figure, Symbola.

#### Ex Veteri & Novo.

*Post duos annos vidit Pharaon somnium.* &c. Gen. 41. 14. Sicut terra Ægypti amplius fuit Pharaoni subiecta tempore egestatis; quò tempore magis sollicita ad consilium, & auxilium, Joseph recurritur: Sic mirò modò sit, quòd mens per sensum suæ egestatis fortius se Deo subiciat; & humiliter, & ad discretionis divinæ consilium recurrat; quàm tempore, quò ad votum bibit, & pascitur in divinis. S. Thoma. hic.

*Protinus ad regis imperium educam de carcere Joseph totonderunt* &c. Gen. 41. 14. Absque præviis tribulationibus, audi, multum sublimatos corruisse. Sicut utique corruit primus Angelus, ac primus homo: & Saul, & Salomon, reges. Quia igitur Joseph erat singulariter sublimandus; ideo primò fuit singulariter humiliandus, & tribulandus. S. Thom. Aqu. hic.

*Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo* &c. 1. Reg. 25. 29. Pulcherrimà comparatione statum justorum à reprobis forte discernit: hos lapidi fundæ assimilat, illos fasciculo. Fasciculus enim constringitur; ut integer maneat, & conservetur: lapis in funda expeditus ponitur; ut abiciatur. Sic enim in hoc sæculo electi pressuris tribulationum coangulantur; ut his admoniti, arctius se ad invicem mutuâ charitate connectant; & coadunati ad invicem manu sui Redemptoris in perpetuum conserventur. At verò reprobi, quanto licentius in hac vita voluptatibus propriis, velut liberi, dimituntur; tantò longius in futuro in divinæ visionis gloria projiciuntur; ut de eis meritò dicatur: *ipsi de manu tua expulsi sunt.* &c. V. Beda l. 30. qq. in lib. Reg. q. 6. Glossa ord. hic: fasciculus astringitur, ut conservetur; lapis in funda ponitur, ut abiciatur.

*Vidi impium super exaltatum, & elevatum, sicut cedros Libani.* Ps. 36. 35. Justum humiliori arbori comparet. Psal. 1. 3. *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Quid factum cedris? *transivi; & ecce non erat.* Quid humili? *fructum suum dabit in tempore suo.* &c. Naxera in Jos. 24. §. 7.

*Cadent à latere tuo mille* &c. Psal. 90. 7. Solatia sunt periculosa. Plus debet quis velle in ista parte, in qua pauciores cadunt. S. Bonaventura l. 17. Per dexteram felicitas, per sinistram designari solet adversitas. Rupertus in Ezech. c. 5. Licet multos frangat adversitas; tamen multò plures extollit prosperitas; sicut scriptum est: *cadent à latere tuo mille* &c. S. Bernardus serm. 2. D. in Ramis.

*Fasciculus myrrha-inter ubera mea commorabitur.* Cant. 1. 12. De botro Cypri non dixit

dixit expressè : quia nulli est difficile , dulcia , & honorifica , inter ubera collocare : at arduum est , & purissimæ dilectionis signum , amare , & contumeliosâ inter ubera collocare. de Ponte hic Exh. 6.

*Venit ad Discipulos suos , & invenit eos dormientes.* Matth. 26. 40. Vigilat Christus in horto dormientibus Apostolis ; dormit verò iisdem inter procellas laborantibus. Matth. 8. 24. Itâne ? tam dissimilis militibus Dux ; ut quiescat , illis periclitantibus ; luctetur , & ad cruorem usque sudet , iisdem placidè dormientibus ? Apostolis timentibus , nihil timuit ; quos sciebat à periculis ad pietatem erudiri : timet verò plurimum illis occitantibus . Et meritò : nam periclitante cymbâ ad Christum omnes confugere post somnum omnes fugere à Christo. Ibi vel Judas oravit ; hic pejeravit vel Petrus Oliva t. 2. Strom. §. Bonum mihi quia , humiliasti me.

#### Ex Patribus , & Sallis.

Non dubium est , quia videris aliquando ingentem ad præsepe bovem , elatum , nitentem corporis pinguitudine , cervicis attolentem : contrâque bovem alium demissò capite , incurvum , deformem ; quæ indicia sunt laboris in arando . Et tamen ille jugulationi reservabatur ; hic tam sese , quàm horum , labore nutrebat . S. Gregor. Naz. de providentia.

Quemadmodum aqua , dum per plana , & ampla , spatia fertur , non in altum exurgit ; sed tenuem sese latè quaquaversus extendet : eum autem manu artificum subtus colligente , stringentèque , coacta fuerit in angustum ; jam inde sollicita , omni telò velocius se in excelsum ejaculatur , petitque regionem supernam . Sic mens humana , dum otiosa & liberior , quàm expedit , degit ; diffunditur , latèque defluit : eum autem rerum eventu asperiorum casusque subtus coarctante adverso sollicitatur ; jam agilius se extrudit , & intentas , dilucidasque orationes mittit in excelsum . S. Chrysost. hom. 4. de incomprehensibili natura DEI.

Omnes fontes , sive aquæ ; majores , & diffusiores , sunt noctis tempore , quàm die : quia nox est frigida , & humida ? item sol in die aquas exterminat . Sic gratiæ nocte tribulationis majores , quàm prosperitatis die . Berengarius Ep. de similit. Avicennal. de quatuor diluviis.

Herbæ omnes majoris virtutis sunt hyeme , quàm æstate : in hac enim totus succus , & virtus earum , excrescit in folium , & in flores : in hyeme autem intus manet , contrahitur , & unitur ; ut refert Galenus in Antidotario veteri . Sic virtus in adversis fragrantior , quàm in prosperis . Berengarius.

Sicut navis tutior fertur in amara , sive falsa , aqua ; quàm in dulci ; quia amara , & falsa , grossior & gravior , est dulci . Sic anima in amara tribulationis tutior , quàm in dulci prosperitatis . Geminianil. 1. c. 80.

Bos. Lem. *Saginat ad mortem.* Pici-cinelli.

Num. 2.

#### Testimonia.

##### Ex Veteri.

*Factusque est juvenis sagittarius.* Gen. 21. 20. Ismaël matri traditur , domò excutitur : puer suæ quodammodo potestatis in deserto moratus est . Isaac in monte vinculis ligatur . Ismaelem portat mater ; holocausti ligna Isaac . Ismaël vocatur puer , dum traditur ; Isaac vocatur filius , dum constrictus altari imponitur . Ille liber , hic vinculaus , quis felicior ? Naxera in Jos. 13. §. 13.

*Fratri tuo servies : tempusque veniet , ut excutias , & solvas , jugum ejus de cervicibus tuis.* Gen. 27. 40. Quale hoc solatium , prædiclio servitutis ? Imò plus , ait Philo Hebraeus l. de nobilitate , indulgit filij commodis de injuncto jugo ; & minus de imperito indulgisset imperio ; si homo nequam in sua potestate relinqueretur . Cœcetimus , & obscurante judicii serenitatem affectu , in fausta dicimus felicissima ; felicissima putamus infauusta . Idem ibid.

*Egressæ sunt aquæ largissima &c.* Num. 20. 11. Populo Israël in deserto . Eliæ 3. Reg. 19. 7. dicitur : *surge comede : grandis enim tibi restat via-ambulavit in fortudine cibi illius quadraginta diebus &c.* Quadraginta diebus passu , & potu , caret Propheta ; panèque aridò & aquâ in mensura , ab Angelo recreatur . Ecquis Deo dilector ? Hebraeus , an Elias ? Ad speciem dilector videtur Hebraeus . O quàm falleris ! Non censendus amor de itinere , sed de termino . Elias ventre aridò , & sicco , defatigatò anhelitu , Dei montem conscendit , usque ad montem Dei Horeb ; at Hebraus in deserto jacet . Quid aquarum juvat deliciofa abundantia , si promissionis negatur terra ? quid oberit Eliæ sitis , si quiescit amœnò vertice ? Naxera in Jos. 15. §. 41.

*Percussit David cor suum* 1. Reg. 24. 6. Egre ferens , ait Oleaster , quod se vindicare cœpisset . Cum tamen in aula otiosus degeret , Uriam perdidit . 2. Reg. 12. 9. David sub hoste Saule pius , & justus est : dum Sceptrum tenet ; savus , & injustus , est . Quod notat S. Gregor. de cura past. p. 3. c. 27. rector fuit in servitio , quàm dum pervenit ad regnum : servus amore justitiæ , deprehensum adversarium ferire timuit ; Rex verò persuasione luxuriæ , devorum extinxit militem . Velloso in Judith. 1. Paræn. 2. Peccata in rebus lætissimis plus cavenda . In Saulis persecutiõne numerosas virtutes exercuit ; qui positus in regni securitate peccavit . Quò factò docemur , felicitatem Mundi illius non oportere perquiri , quando magis in afflictione perficitur , & in prosperitate peccatur . Cassiodorus in Pl. 50. Periculosior est res prospera animo , quàm adversa corpori . - Hoc peccatum non fecit David , cum persecutorem Saulem pateretur , quando illius persecutionibus agitabatur : quando per diversa fugiebat , nè in manus ejus incideret ; non concupiscebat alienam , non adulteratâ uxore occidit virum ,

Erat in infirmitate tribulationis suae tantò intensior, quantò miserior videbatur. Utile quiddam est tribulatio, utile medici ferramentum, tanquam contra diaboli tentamentum. - Valet ergo hoc Exemplum ad id, ut timeamus felicitatem. S. August. in Pl. 50.

*Si Regi placet, obsecro, ut venias ad me hodie. & Aman tecum, ad convivium.* Esth. 5. 4. Cur hoc Esther facis? populi hostem vis pacere? Nunquam in Aman savior, quam cum eum excipit convivio. Inescat, ut capiat; impingat, ut mactet. Perditissimos homines beneficiis Deus affligit aliquando; illos tunc puniens, & saginans ad mortem, Baeza t. 1. l. 3. c. 9. §. 4.

*Consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis.* Job. 1. 5. Sed fortunis omnibus everis non legitur sacrificasse. Noverat enim, majora imminere pericula fortunâ blandiente, quam saviente: ipse dolor, & miseria, superbiam cogit ponere, & submisit sapere. Naxera in Jos. 23. §. 12. Cautior iste fuit in doloribus, quam ille (Adam) in nemoribus: ille victus est in deliciis; iste vicit in pœnis. Concessit ille oblectamentis; non cessit iste tormentis. S. August. l. de patientia c. 12.

*A judiciis tuis timui.* Psal. 118. 120. Et 118. 43. *in judiciis tuis super speravi.* Quomodo sperat, & timet? S. Hieron. ait, duplex Deo esse iudicium; alterum cum malis, alterum cum bonis. Iudicium iniquorum est, ut hic habeant brevem prosperitatem; ibi æternam miseriam. Bonorum, hic pati; ibi gaudere: sperabat iudicium hoc, cum patiebatur; timebat illud in prosperitate. Diez. conc. 2. in festo S. Jacobi.

*Deus meus misit Angelum suum.* Dan. 6. 22. Inter feras unus adlat Angelus; sed Lotho inter delicias geminus. Gen. 19. 21. inter quas majori egebat tutelâ, quam Daniel inter leones. S. Ambros. pene non est profectus, ut conderet; nisi, urgentibus Angelis, & tenentibus manum ejus, egredi coactus esset. Non ergo profectus, sed eductus est. Unus Angelus Petrum è carcere, & catenis, educit. Naxera in Jos. 23. §. 12.

#### EX NOVO.

*Herodes occidit omnes pueros.* Matth. 2. 16. Tam profanus hostis, nunquam sic beatis parvulis prodesse potuit obsequio, quantum profuit persecutionis odio. V. Beda hom. in Natali Innoc.

*Assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem.* &c. Matth. 17. 1. In Thabor duo ex requie, tres ex terreno labore: quia semper plures ad Christum transmittit labor; quam felicitas, & requies. Sylveira hic.

*Ecce mulier in civitate peccatrix &c.* Luc. 7. 37. Interim malo peccatricis, & pauperis nostræ divitias in lacrymis, & affectu; quam tuas in impietate; illius jejunium, quam tuum convivium. Malo inter capillos illius Christi pedibus alligari; quam inter dapes tuas tecum juxta Christum sine Christo discumbere. S. Paulinus ep. 4. de Magd. & Pharisæo.

*Erat filius ejus senior in agro.* Luc. 15. 27. Junior in regione vagatur, vivit luxuriosè: ille laboriosè. Et tamen huic dicitur: *tu semper mecum es.* q. d. primogenitura privilegio gaudes, & præcipuo patris amore frueris; quia libertati indecoræ non datus. Naxera in Jos. 13. §. 13.

*Nolite flere &c.* Luc. 23. 28. q. d. super filium crucis non est flendum; sed super delicatos, qui non bajulant crucem, Hugo Card. in Gen. 19.

Consolatio temporalis, via est ad cruciatum æternum: & è converso, cruciatu temporalis; via est ad consolationem æternam. Hugo Card. in Gen. 25.

#### §. VI.

#### In tribulationibus benedictio.

*Horror magnus, & tenebrosus, invastum.* Gen. 15. 12. *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram.* v. 18. Regis lucis è tenebris emergit; terrorque parit securitatem. Fax fumat, ut expers caliginis dies oriatur è nebula, Tunc in possessionem inducitur Abram beatitatis; quum undique obscuretur in cursu ignis, fumi, caliginis, & terroris. Oliva fer. 3. D. Pals.

*Impinguet terra, & in rore cœli desuper erit benedictio tua: vives in gladio; & fratri tuo servies.* Gen. 27. 39. Videtur magis esse benedictio: quid enim gravius servitute? Vocatur tamen, & est *desuper* divina hæc benedictio. Pinna Ethol. 52. S. Ambros. l. 5. ep. 20. pro benedictione hujusmodi confertur servitus. Deniq; inter bona annumeratur, inter collatam terræ ubertatem, & rorem cœli à summo.

*Tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo dormiit.* Gen. 28. 11. Dum Jacob hortatu matris exulat, contenditque in Syriam solus, extorris, nullò instructus viatico, aut jumento; & saxo incubat: tum enim verò jactum benedictionis semen pullulavit in Petra, referarò cœlo quiescenti. Oliva fer. 4. Dom. Pals.

*Et benedixit ei in eodem loco.* Gen. 32. 29. Non lego, Jacobum benedictionem Domini consecutum, usque dum cum eo luctam iniit, & nervus femoris ejus marcuit. Cur huicq; benedictio dilata? Stephanus Cantuar. Jacob debilitatus benedictionem obtinuit. Hoc est, quòd *victus in infirmitate perficitur.* q. d. debilitas Jacobi divinam vocavit benedictionem: ut constet, afflictione, perpeti, non in perniciem patientis, sed in ejus utilitatem, si patienter ferat, redundare. Castillo Illat. 96.

#### §. VII.

#### Tribulatio beneficium magnum, & donum.

*Non pravo opera Domini castigans castigavit me Dominus.* Psal. 117. 17. 18. Narratur opus creationis? vel quòd de pascuis assumptus in regem? vel quòd de Goliath triumphavit? non. quid ergo refert? *castigans castigavit me.* Acti inter tot illustria opera, & tanta beneficia, maxime eniteat castigatio divina.

divina. Sciebat, quantum lucrum, & fructum, castigatio, & afflictio, importet. Sylveira in Apoc. 3. 19.

*Miserere mei secundum eloquium tuum.* Pl. 118. 58. Hoc dicere potest etiam prudens ægrotus Medico: ut scis, medicinam adhibe; & ut ars præcipit. Sæpe enim per animadversionem salutem procurat, & poena sit benignitas. Sic etiam Medicus, & secat, & comburit; laboranti sanitatem tractans: sic etiam nos decet misericordiam petere. Nam aliquando per paupertatem misericordiam impedit; & per ægritudines benignitatem largitur. B. Theodoretus hic.

*Cum gustasset, noluit bibere.* Matth. 27. 34. Gustavit Christus omnes passiones; sed non absorbit: quin reliquerit sequacibus posteris. Nec abolevit mortem, quæ originaliter provenit ex parentibus primis. Quanquam enim sua Passione nostra peccata deleret, reconciliaret & Patri; non tamen mortem abstulit, nec passiones, ut non essent, absorbit. Relinquenda profecto erant divino & infallibili decernente decreto, mors hominibus, & passiones; cum quibus humana natura certaret ad præmium; evaderetque supplicium; & angeretur timore, quæ amore primò non steterat. Sim. Cass. l. 13. hic.

*Omne gaudium exstimate fratres &c.* Jacobi 1. 2. Hæc enim sunt magna beneficia Dei; sicut affirmat Apostolus Philipp. 1. 29. *vobis donatum est, pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam patiamini pro illo.* Dion. Carth. in Matth. 5. Omnia adversa amanter suscipe, tanquam pretiosissima xenia tibi à Deo transmissa. Blohus parad. an. c. 9.

## §. VIII.

## Tribulationes à Deo proventunt.

## Ex Veteri.

*DEUS providebit sibi victimam holocausti, sibi mi.* Gen. 22. 8. Cum hæc pater diceret, & filius audiret, *pergebant pariter.* ib. Cur Isaac patri non plures quaestiones movit? S. Chrysostr. hom. 4. in 1. Cor. 2. ut Dei nomen audivit, nullum ultra verbum addidit; nec curiosius quidquam inquisivit: usque adeo prudens erat hic puer. Did. Niss. Pol. cœl. p. 2. l. 3. c. 2. Providentia Dei in adversis summum solatium:

*Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui?* Gen. 30. 2. Abulensis: videns Rachel, quod Jacob iuste responderat; redargutionem factam patienter toleravit. Ratio patientiæ: quia Jacob dixerat, quod causa illius sterilitatis non esset alia, quam providentia Dei. Did. Niss. citatus.

*Pro salute vestra misit me Deus.* Gen. 45. 5. Et iterum Gen. 50. 20. *eos cogitstis de me malum; sed Deus vertit illud bonum.* Qui Deum calamitatum suarum auctorem agnosceat; quidquid faciant hostes, quasi à Deo factum excuset; non accusat: imò grande inde sibi solatium parat; & quod patitur, libenter, non dolenter, patitur. Velloso in Judith. 7. Paræh. 26.

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Exod. 3. 2. Damnum timendum erat ex tanto igneo rubo: at tota flamma à Deo veniebat. Et ideo non damnum, sed multum boni rubo inferebat; ut inde illustrior, & viridior, appareret. Sylveira in Act. 7. 30. q. 21. Rubus ardet, & non comburitur: significabat enim Hebræos oppressos, & vexatos, igne persecutionum, minime perituros; sed magis multiplicandos. Idem ib. q. 22.

*Noli ire cum eis, neq; maledicas populo.* Num. 22. 12. Curabat Balaac, ut Balaam celebris veneficus, malediceret populo Dei; sed Deus teruit veneficum. Mirum, quod omnipotens Dominus venefici maledictionem populo suo metueret, & illum curaret avertere. Quod veneficus maledicat populo Dei; idem maledictus erit? Responder Anastasius Nicænus q. 32. quam vim habebat vatis execratio, cui Deus prohibuerat, ne execraretur? nullam quidem vim habebat: falsam enim tenebatur opinionem. Sed quoniam populus continenter inique agens sustinebat plagas à Deo immixtas; ad eorum imbecillitatem hæc dispensavit. Nam ne à Deo castigati existimarent se per vatis execrationem incidisse in calamitates; non fuit vatem uti execratione. Bæza t. 1. l. 4. c. 5. §. 11.

*Dominus mortificat, & vivificat.* 1. Reg. 2. 6. Tunc supplicia vitam pariunt, cum superioris manu insiguntur: quæ si ministris permittantur, pro incolumitate invehent mortem. Etenim Dominus ideo vivificat, qui mortificat. Oliva l. 12. Strom. §. Dominus mortificat.

*Quare percussit nos Dominus?* 1. Reg. 4. 3. Non dixerunt, quare percusserunt nos Philistinum; sed, *quare percussit nos Dominus?* poenæ enim peccatorum DEO attribuendæ. Mendoza hic.

*Dominus præceperat ei, ut malediceret David.* 2. Reg. 16. 10. Est iste Dei quidem lorum; & virga: non video lorum; sed video Deum, qui me stragor cadit. Theodoretus q. 32.

*Irrunt Sabæi &c.* Job. 1. 15. Nil magis diabolus satagebat, quam ut Job induceret ad credendum; poenas, quas patiebatur, non à Deo, sed creaturis, provenisse. Unde ille multiplex nuntius, sive diabolus futit, ut Chrysostr. & Olympiodorus, putant; sive alius, diaboli fraude submissus; ut Origenes, & alii sentiunt: ille, inquam multiplex nuntius nunquam eas Deo, sed creaturis tribuebat. Nunquam Deum nominat, ut Jobum ad impatientiam provocet. Job. autem: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Mendoza in 1. Reg. 4. 3.

*Extende paululum manum tuam.* Job. 1. 11. Sua id manu facere optabat: suam ipsam manum in affligendo DEI manum vocat. Quod agnosceus Job dicit, unicum in malis solatium: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Octavianus in Eccl. 2. 3.

*Dominus dedit.* Job. 1. 21. Quia non attendebat, quis percuteret, sed quis permitteret, S. August. in Ps. 29.

Mitte

*Mitte manum tuam, & tange os ejus &c.* Job. 25. Multum in sapienter loquitur: quæ enim à manu Dei veniunt, non ad perditionem, sed ad profectum, conducunt. S. Ambros. in Psal. 36. diabolus suo sermone deceptus est, qui dixit, *mitte manum tuam &c.* Misit Deus manum suam, & confirmatus est Job: cepit benedicere, qui maledicere credebatur. Sanat enim justos, dum tangit, manus divina; non vulnerat. Sylveira in Act. 7. 30.

*Obmutui, & non aperui os meum; quoniam tu fecisti. Amove à me plagas tuas.* Pl. 38. 10. Ubi non solum Deum respicit puniorem; sed etiam suas inde plagas consolatur. *Plagas tuas*: quia eas, non ut à creatura, sed ut à Deo imperatas, considerabat. Mendoza in 1. Reg. 4. 3.

*Misit ante eos virum.* Pl. 104. 17. Merito dixit virum: quia multa passus, viriliter cuncta sustinuit. Considerandum est etiam, quod dicit, eum Dominum misisse; qui fratrum suorum iniquitate distractus est. Novit enim Deus bene uti malis alienis. Sic enim omnia illi ad versa feliciter contigerunt, ut misso facta sit Domini, Joseph dolosa venditio; sicut & ipse fratribus suis dicit. Gen. 45. 5. *pro salute vestra misit me Dominus Deus ante vos in Ægyptum.* Cassiodorus hic.

*Sicut oculi ancilla in manibus domine sue &c.* Pl. 122. 2. Qui sunt isti servi, & ancilla, qui sic habent oculos in manus dominorum suorum? nisi qui jubentur cædi. Vapulat servus, sentit plagarum dolores; attendit ad manus Domini sui, quoadusque dicat: parce. Ergo quid dicimus fratres? jussit nos cædi Dominus noster, & Domina nostra Sapientia Dei jussit nos cædi; & in hac vita vapulamur; & tota ista vita mortalis, plaga nostra est. *Sicut oculi &c.* Adhortatur, ut in tribulationibus manum Dei percipientis agnoscamus. S. August. hic.

*Læva ejus sub capite &c.* Cant. 2. 6. Cum ad sinistram manum cor propendat; quando porrigitur læva ad sustinendum caput, simul divinum cor porrigitur. Nam quidquid DEUS per lævam operatur, sive permittendo adversa, sive comminando supplicia; ex amore procedit; & ut nos in sui amorem trahat. de Ponte hic Exh. 41. §. 3.

*Sustine sustentationes DEI.* Eccli. 2. 3. Lyran. Dion. Hugo Card. id est, patientiam habe in tuis calamitatibus: quas cum sustines, eodem tempore in iisdem à DEO sustentaris, nè cadas: virisque sufficit, ut eas tolteres. Qui ambulando baculo utuntur; portant illum quidem, sed ab eodem sustentantur. 2. Vocat tribulationes *sustentationes DEI*: quia immittuntur à DEO. Et optima ratio est ad sustinendum, considerare, quod Deus illas immittat. Octavianus hic.

*Bona, & mala, à Deo sunt.* Eccl. 11. 14. Purior est Dei amor in adversis, quam prosperis: quia in cruce nihil habet amor carnalis, vel sensualis; uti habet in deliciis. Christus æquè dilexit Deum in monte Calvarie, ac in monte Thabor. Quocirca piè S. Gregor.

Naz. ep. 63. gratias ago, ait, ut in lætis rebus, ita etiam in acerbis: quia exploratum habeo, nihil rerum nostrarum apud summam rationem expers esse rationis. Sicut in thermis ex uno latere videmus ebullire aquam calidissimam, ex alio frigidissimam; quæ in thermis commissa temperatum, & salutare efficiunt balneum: sic in hisce Mundi thermis cernimus emanare à Deo tristitia, & læta. Cornelius hic.

*Virga furoris mei, & baculus ipse.* Isa. 10. 5. Quantus error! virgam aspicere percutientem, & manum percussoris non aspicere. Quis adeo stupidus? ut ab inimico vulneratus dicat, gladius me vulneravit, non hostis. &c. Cur ergo, cum à Deo corripimur, Deum poenæ authorem agnoscere recusamus? Dicimus, non est ipse. Canes imitatur; qui lapidem mordent, quò petiti sunt, non manum jacientis. Hoc totum non aliò fine facimus; quàm nè delicti nostri gravitatem agnoscere, vitamque in melius mutare, cogamur, Quamdiu enim mala, quæ patimur, alienis causis adscribimus, tamdiu culpam, ob quam punimur, non apprehendimus; nec irritati Numinis manum, à qua vapulamur, reveremur. Idem ibidem.

*Idcirco percussit eos leo.* Jerem. 5. 12. Sed quomodo id fieri potest? an non flagelli ictus vident, palpant, operiuntur? dicam? *negaverunt Dominum, & dixerunt, non est ipse.* v. 12. Sentiunt quidem flagellum, idque atrox; negant tamen esse flagellum DEI. Non credunt, Deum esse; qui bella immitat, famem, pestem, eluviones, incendia, turbines, terræ motus. &c. Segneri f. 15. die Ven. D. 2. Quadr.

*Præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam.* Jon. 2. 1. Ad quid manus Dei præparavit piscem? ut pro morte præberet habitaculum; ut qui in mari irata senserat Deum, in morte propitium sentiret. Bæza t. 1. l. 1. c. 7. §. 30.

### EX NOVO.

*Motus magnus factus est in mari.* Matth. 8. 24. Tempestas non ex se orta est, sed potestati paruit imperantis. Origen. hom. 6. in divers. Motus hic maris creditur suscitatus magis virtute divinâ, seu miraculosè, quàm naturaliter: ut Christi potentia, & divinitas, panderetur, per motus sedationem. Dion. Carth. hic.

*Calicem, quem dedit mihi Pater &c.* Joan. 18. 11. Pater, non judex: id est, amore, non irâ, voluntate, non necessitate; gratiâ, non vindictâ. Rupertus l. 13. in Joan. Dedit Pater Filio calicem amarissimæ Passionis, quem usque ad fundum exhaust; pro eo, quod Pater dedit: cujus voluntati nihil statuit præferendum. Sim. Cass. l. 13. hic.

*Non vis, ut bibam illum?* ib. Non vis tu ô homo, quod vult Deus? non vis tu creatura, quod vult Creator? non tu servus, quod vult Dominus? &c. Idem ibidem.

Non

*Non haberes potestatem adversus me ul-  
lam; nisi tibi datum esset desuper.* Joan. 19.  
11. Non ad Praesidem, sed ad primum moto-  
rem, aspexit, quando crucem excepit. Stenge-  
lius t. 1. Judic. div. §. 5.

*Dominus est.* Joan. 21. 7. In mari solus Joa-  
nes, ceteris Discipulis id ignorantibus, agno-  
vit Dominum multi in rerum turbatarum flu-  
tibus non agnoscent turbati maris auctorem  
Deum; sed in eos, quos hostes putant, acriter  
stomachantur &c. Drexelius Heliotrop. l. 1.  
c. 2. §. 2.

### Ex Patribus, & aliis,

Quoties Deus quocumque flagellò huic Mun-  
do irascitur, ad ministerium vindictæ apostatæ  
Angeli mittuntur. S. Ildodotus Ep. l. 1. sent. c. 10.

Universa, quæ accidunt tibi, absque Dei non  
veniunt voluntate. Qui tibi adversantur, Dei  
faciunt consilium. S. Ild. Ep. l. 1. folil.

Pœnæ in semetipsis consideratæ minimè  
quidem possunt amari; sed consideratæ in sua  
origine, id est, providentiæ & voluntate, divi-  
na, quæ eas ordinat, & immittit; infinitè  
sunt amabiles, & amandæ. Intuere virgam  
Moysis Ex. 43. 4. projecta in terram, & ser-  
pens horrificus: eandem vide in manû Moysis;  
& bacillus, qui patrat mirabilia. Intuere tribu-  
lationes: in semetipsis sunt horribiles; in volun-  
tate autem divina si consideres, sunt puri puti  
amores, & deliciae spirituales. Quoties contingit,  
nos habere aversionem contra remedia,  
& medicamenta; dum ea nobis medicus, vel ap-  
othecarius, exhibet: quæ tamen oblata nobis  
per amicam manum, amore horrorem superan-  
te, cum læticia accipimus. Certè vel amor aufert  
asperitatem doloris, vel sensum illius efficit ama-  
bilem. Dicitur in Bœotia esse fluvius, in quo pi-  
sces apparent atrei: verum tolle eos de aqua,  
quæ est locus eorum originis; habent colorem  
aliorum piscium naturalem. Afflictiones sunt ta-  
les: si eas aspicias extra Dei voluntatem, habent  
suam amaritudinem naturalem: at qui eas con-  
siderat in beneplacito æterno; omnino sunt au-  
ræ, amabiles; & pretiosiores, quam dici possit.  
Si Abraham vidisset necessitatem occidendi su-  
um filium extra Dei voluntatem; quantas pœ-  
nas, quot convulsionones cordis, eum sufferre fuisset  
necesse. Sed videns illam in Dei beneplacito,  
erat illi rota aurea: tenerè proinde eam comple-  
xabatur. Si Martyres &c. S. Fran. Sales. de am.  
Dei l. 9. c. 2.

### §. IX.

### Tribulationes propria amicorum, dilectorum Dei.

#### Num. 1.

#### Figura, Symbola. Ex Veteri.

*Quid vis filii?* Gen. 22. 7. Filium vocat pater,  
dum ligat, dum sacrificat, dum ensem, & ictu,  
vibrat. Pater magis est pater, dum tentat; filius  
magis est filius, dum tentatur. S. Ambros. l. de  
Abr. c. 1. inflexibilis à studio devotionis mini-  
ster, vocare filium frequentè non timet; &  
hoc se meliorem patrem putabat, si eum immo-  
laret Deo. Deus ostendit se patrem, dum ten-  
tat, dum flagellat: inter tentationes, ærumnas,  
*Polyant h. Sacr. Tom. II.*

regia filiorum Dei magis splendent insignia. Ar-  
cones in Is. 1. 2. Disc. 3.

Jacob, dum ei occurreret Esau; Rachel & Jo-  
seph, in extremis collocavit. Gen. 33. 2. ut quique  
ordines, sicut profundius hæserant affectibus  
patris; ita longius absterent gladio ferientis.  
Rupertus l. 8. c. 2. in Gen.

Non sic Christus fecit cum suis dilectis.

*Scyphum meum argenteum - pone in ore  
sacci junioris* Gen. 44. 2. Scyphus in sacco ju-  
nioris fratris absconditur. O tormenta miseri-  
cordiæ! cruciat, & amat. S. Gregor. hom. 21.  
in Ezech. Scyphus Joseph in ventus est in perâ  
Benjamin dilectissimi; & calix Passionis Chris-  
ti non invenitur, nisi apud ejus dilectos. Stella  
de contemptu p. 1. c. 82. Per Benjamin intelli-  
guntur hic innocentes; quos Dominus tene-  
rius diligit: & ideò potius arguit hîc, ut pu-  
rioris sint. Hugo Card. hîc.

*Grando & ignis, mixta pariter fereban-  
tur.* Exod. 9. 24. Mirabile! grandinem simul  
cum igne descendisse. Unde tam pacificum  
consortium inter calida, & frigida; humida,  
& sicca? Stephanus Cant. ignis, & grando,  
mixta pariter sunt: quia, dum Deus hominem  
punit, etiam signum sui amoris impendit: in  
igne enim fervor divini amoris exprimitur.  
Castillo Illat. 46.

*Bibite, & inebriamini.* Cant. 5. 1. Ami-  
cis communibus calix tradiitur epotandus: at  
charissimi hauriunt usque ad ebrietatem. *In-  
ebriabuntur ab ubertate domus tue, &  
torrente voluptatis tue potabis eos.* Pl. 35.  
9. Helychius in cat. Græca: voluptatis torren-  
te charissimos potat. Torrens voluptatis fuere  
Christi pœnæ (de torrente in via bibet)  
voluptatis meritò dictum est; nam Christus  
in deliciis erat, cum pro nobis pateretur. Esco-  
bâr t. 1. Mir. Chr. l. 1. Obs. 4.

*In vinculis Adam, traham eos, in vincu-  
lis charitatis.* Ol. 11. 4. Quænam Adæ vin-  
cula? Prado ad c. 6. Ezech. c. 9. traham in do-  
loribus, & afflictionibus, quæ a parente suo  
Adam hæreditarunt: hæc enim sunt amoris  
mei erga illos vincula, quibus solco ad me  
allicere.

### Ex Novo.

*Ascendente eò in naviculam &c.* Matth.  
8. 23. Paulò antè v. 16. Dominus miracula fa-  
ciebat turbis; nunc autem, ubi dura imminet  
tempesta, cum solis charis Discipulis ascen-  
dit. Consuevit enim labores, & pressuras, so-  
lis magnis viris committere. S. Chrysost. hom.  
29. in Matth. ubi miraculorum ostensio erat;  
plebem permittit adesse: ubi autem tentatio-  
num, & timorum; accepto; athletas orbis  
terrarum, quos excitaturus erat; hos solos  
assumit. Bæza t. 2. l. 11. c. 5.

*Ecce motus magnus factus est in mari.*  
Matth. 8. 24. Et œconomia servatur in Apo-  
stolis; ut advertas, sine tentatione neminem pos-  
se ex hoc vitæ curriculo demigrare: quia  
exercitium fidei tentatio est. S. Ambros. l. 6.  
in Luc. 8.

Kkk kk

Num. 2.

Num. 2.

## Exempla

Ex Veteri, &amp; Novo.

*Projicite eum in cisternam hanc.* Gen. 37. 22. Iustior in Jacobi familia Joseph in lacum detruditur: innocenter in familia Adæ occiditur à fratre primus Abel: Elias optimus inter Prophetas exulat. Baptista in carcerem mittitur. Alvarez Illustr. 62.

*Tunc JESUS ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Matth. 4. 1. Siccine agitur cum Filio amico & dilecto? Bone Deus! fateris filium, laudibus extollis, complaces tibi in ipso, & ad desertum impellis, ut tentaretur à diabolo? S. Chrysof. hom. 13. in Matth. *Tunc* istud ad quodnam tempus aptandum est? procul dubio ad illud, quò descendit Spiritus S. cum etiam desuper delata vox ait: *hic est Filius meus.* Arcones in Isā. 1. 2. Disc. 3.

*Quid timidi estis modice fidei?* Matth. 8. 26. Cur solum Discipulos objurgat? de aliorum dissidentia tacet. Alii navigantes non adeò familiaritate conjuncti, neque scholam ejus frequentantes. At Discipuli & tenerius dilecti, & accuratius instructi. Naxera in Jof. 17. §. 18.

*Dico autem vobis amicis meis.* Luc. 12. 4. Servos suos dignatur appellare amicos tunc, cum ad martyrium eos accendit: ut intelligamus, præsentis vitæ mala, mortemque, parari amicis ejus; & talia esse amicitia ejus pignora. Cajetanus hic.

*Pater! in manus tuas &c.* Luc. 23. 46. Christus in probroso Calvaria monte Patrem suum agnoscit. Ut nos doceret: qui se filium Dei gloriatur, premia ejus vestigia: ut sit idem inter supplicia, qui inter delicias; idem in ignominia, qui in honore; iisdem oculis amarum spectet, quibus dulce. Vid. Niff. Sabb. D. 1. Quadr. §. 5.

*Ecce, quem amas, infirmatur.* Joan. 11. 3. Prius dilectus dicitur, quam infirmus. Bæza t. 2. l. 8. c. 3. §. 6. Mira sunt verba, magisq; miranda sententia. Si amas, ò Christe! quomodo, & qualiter, infirmatur? sinisne tuos infirmari dilectos? si infirmatur, ubi est, quod ames? Nam à te non diligi, hæc est penitus mortalis infirmitas; cum neminem diligas, nisi quem diligendum agnoveris. Sim, Cass. l. 5. c. 15.

*Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Joan. 15. 9. Sicut dilectissimo Filio Deus crucem ex amore ad gloriam destinavit; sic Filius Discipulis labors, ad meritum augmentum, impertivit. S. Chrysol. l. 55. Caritas dolum non habet; fraudem pietas, affectio non recipit falsitatem. Si Pater est, non potest non amare: si amat; nisi quod bonum est, dare nescit. Negat patrem, qui de patris suspectus est largitate: ignorat se filium, quem data paterna sollicitant. - Ergo si Deum credis, & confessus es Patrem; quidquid jussit, quid-

quid in te elegerit; crede, tibi facis saluferum esse. Ramirez in ep. 5.

*Amen, amen, dico tibi: cum esses junior &c.* Joan. 21. 18. ait Christus Petro post trianam testificationem amoris. Pro triplici amore promittitur Petro triplex tormentorum genus; fervide amanti Petro, ipsum pro Christo pati, & crucifigi: magna merces, pretiosum munus. Sylveira in Joan. 10. Prædixit Petro, quòd esset pro ipso passurus; ubi amoris certitudine ferebatur in illum. Ut non solum amor ostendatur in regimine ovium, sed in tolerantia persecutionum: ut non ipse amor possit amplius in virtutibus progredi, quam mori pro Christo. Sim. Cass. l. 14. hic.

*Ego, quos amo, arguo, & castigo.* Apoc. 3. 19.

## Ex Patribus, &amp; aliis.

Savire videtur DEUS, cum ista facit. Nè metuas, quoniam Pater est: nunquam sic sævit, ut perdat. &c. S. August. in Psal. 65. Quando malè vivis; si parcat, plus irascitur. Omnino ista tribulationes flagella sunt corrigentis, nè sit sententia punientis. Id. ib.

Quis nos potest amplius amare, quam DEUS? Et tamen nos non solum docere suaviter; sed etiam salubriter terrere, non cessat. Formentis lenibus, quibus consolatur, sape etiam mordacissimum medicamentum tribulationis adjungens; exercet fame Patriarchas etiam pios, & religiosos; populum contumacem pœnis gravioribus agitat. S. August. ep. 48. post initium.

Quod te non vult pati, non pateris: quod te permiserit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis. Ad hereditatem sempiternam erudimur; & flagellari dedignamur? Idem tr. 7. in Joan.

In nos ita se gerit Dominus, ut nos in nostros filios. Sunt tibi filii, castiga eos, suadet sapientia Ecclesiastica. 7. 25. Atqui liberos nostros, & filios, valde, & supra quodcumque aliud, amamus. Clem. Alex. l. 1. pædag. c. 9.

DEUS omnia facit diligens: quemadmodum beneficiò afficiens posuit in paradiso; & beneficiò afficiens ejecit è paradiso. Beneficiò quoque afficiens gehennam minatus est. Et quemadmodum patres, non solum indulgentes filiis, sed etiam verberantes, patres sunt; nec minus verberantes, quam indulgentes: ita etiam DEUS. S. Chrysof. in Psal. 110.

DEUS Pater est: nunquid amandus est blandiens; & respuendus corripiens? Cogita quoslibet cruciatus, extende animum in quoslibet in hac vita pœnas humanas; compara gehennas: & leve est omne, quod cogitas. Et paulò post: quidquid hic passus fuerit homo; si corrigatur, emendatio est: si non corrigatur, duplex damnatio est. Et hic enim luit pœnas temporales; ibi experietur æternas. S. Chrysof. hom. de Job.

Quoniam

Quorum nos valde amat; idem permittit, ut affligatur; ut ei perfectius conjugamur. Nam matres quoque; solent insolentes pueros, diversis personis perterrentes, cogere eos, ut ad suum gremium confugiant: non eos quidem volentes molestia afficere; sed hoc excogitantes, ut ipsi eis assideant. Ita etiam Deus, volens nos sibi conjugere, cum sit amator vehemens, vel potius amatore quovis vehementior; permittit, ut ad talem redigaris necessitatem; ut perpetuo vaces orationi, & eum assidue invecas. Idem in Psal. 114. Tribulatio est pretiosus, & praeclarus, annulus; quod Deus animam sibi desponsat. Pati pro Deo res tantae dignitatis est, ut homo iure se reputare debeat indignum eodem honore. Blosius ep. ad amicum. S. Gertrudis afflictiones vocabat anulum desponsationis; S. Franc. Seraph. forores; S. Borgias amicos.

B. Angela de Fulgino dicere solebat: temporalia bona, fortunas, honores; esse panis micas, quae cadunt de mensa Domini: Cruces vero esse delicatos opipari convivii bolos; qui & fortibus Dei intimis apponuntur. Oserius regula 6.

§. X.

*Tribulationes disponunt, & sunt via ad caelum.*

*Figurae, & Symbola. Ex Veteri & Novo.*

*Joseph totonderunt.* Gen. 41. 14. Virga, & serula, & flagella, tempus habent, quod radi necesse habemus contra venturam solennitatem aeterna jucunditatis: ibi enim nullus admittetur, nisi rarus. Quod significatum est Gen. 41. ubi legitur: *Joseph totonderunt, ac veste mutata obtulerunt regi.* Sed postquam solennitas illa advenerit, non erit ultra necessaria novacula: quia pili noxiarum cogitationum, & affectionum, non renascuntur ulterius, sicut modò. Hugo Card. in Eccl. 3. 1.

*Domus de lapidibus dolatis, atque perfectis, aedificata est.* 3. Reg. 6. 7. In aedificio templi omnes lapides prius malleis tundebantur; nè in illorum positione sonus mallei audiretur. Sic & vivi lapides, qui ponendi sunt in illa caelesti Jerusalem, variis infortuniorum tunctionibus prius poliuntur, quam in aedificio caelestis habitaculi collocentur. Blesensis ep. 12.

*Malleus, & securis, non sunt audita.* Ib. Quia lapides vivi lapides sancti, de quibus suprema civitas construitur, hic dolantur; hic tunctionibus, & pressuris, expoliuntur. Ibi autem in pace per manum artificis locis suis aptantur; ita ut nullus persecutoris malleus, nulla cadentium securis, ulterius audiat. S. Rupert. 1. 3. c. 11.

*Ascendit Elias per turbinem ad caelum.* 4. Reg. 2. 11.

*Funes ceciderunt mihi in praclaris.* Ps. 115. 6. Funes sunt afflictiones: convertuntur autem in praecleara, perducendo ad Resurrectionis aeterna munera. Cassiodorus hic.

*Osculetur me.* Cant. 1. 1. Ab ore, gladio arato, osculum petit? Gladius significat tribulationem. *Polyantha Sacra. Tom. II.*

lationes. Sciebat, ad osculum beatitudinis non perveniri, nisi per medios gladios. Beda in 24. Luc. Sponsa prudentissima ad osculum sponsi sui non anhelat, nisi medijs gladiis tribulationum. Sylveira in Apoc. 1. 16.

*Vidit duas naves.* Luc. 5. 2. Duæ naves, sunt duæ viae eundi ad Deum: scilicet innocentia, & poenitentia. Et qui non fuerit ingressus in unam istarum, peribit in mari. Hugo Card. hic.

*Trans torrentem Cedron.* Joan. 18. 1. Volens ire in hortum, per quem paradus intelligitur, transit per torrentem, id est, per tribulationem, ad crucem. Hugo Card. hic.

*Venerunt ad portam ferream.* Act. 12. 10. Ferrea porta, quae ducit ad Jerusalem caelestem, est crux, mortificatio, tribulatio, martyrium. V. Beda. apud Cornelium hic.

Suscipit nos benignus Jesus in Religione sua, cum clamamus, Abba Pater. Sumus hic, dum vivimus, in ea Novitii: tempus Probationis habemus usquequo veniat dies Professionis faciendae coram Abbate nostro Deo, & Caelestium Conventu toto: ut tunc habeamus vocem in Capitulo, stallum in choro, cibum in Refectorio, lectulum in dormitorio. Gerson. tr. 10. sup. Magnif.

Panis in mensa. Lem. *Per multas tribulationes.* Malenius.

*Ex Patribus, & aliis.*

Omnes oportet transire per flammam, sive ille Joannes Evangelista sit, quem ira dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Petrum Joan. 21. *Sic eum volo manere &c.* De morte ejus aliqui dubitaverunt; de transitu per ignem dubitare non possumus; quia in paradiso est, nec separatur a Christo. Sive ille sit Petrus, qui claves accepit regni caelorum; qui supra mare ambulavit, oportet dicat: *transivimus per ignem, & aquam &c.* S. Ambros. in Ps. 118. Oct. 20.

Quid est, quod jejuniis solennia praeveniunt; nisi quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. S. Bernardus in. Vigil. S. Andreae.

Non dedignetur justus intrare caelum per portam crucis, per quam ingressus est Dominus. S. Thom. Vill. conc. 2. de uno M.

Tribulationes calcaria sunt, quae faciunt nos currere ad Deum. Idem conc. de MM.

Mors, afflictiones, sudores, labores (quibus abundat vita nostra) quae iustam Dei ordinatione sunt poenae peccati; sunt etiam, beneficium suavis ejus misericordiae, radii, & gradus, ad ascendendum in caelum; media ad proficiendum in gratia; & merita ad obtinendam gloriam. S. Franc. Sal. de am. Dei 1. 9. c. 1

Crux praesens scala est ad gloriam; & è converso, praesens gloria scala est ad crucem aeternam. Hugo Card. in Gen. 39.

Tribulatio mittitur velut nuntius gratissimus, de praesenti miseria vocans ad felicitatem aeternam. Hugo Card. in Matth. 27.

## §. XI.

*Tribulationes mundant, sanant, præservant à peccato.*

Num. 1.

*Figuræ, & Symbola.*

*Ex Veteri, & Novo.*

*E*cce populus Israël multus, & fortis nobis est: venite, sapienter opprimamus eum, ait Pharaon. Ex. 1. 9. 10. Imò insipienter populus opprimitur. Sapienter deliciis appositis inescarentur, nè fugam arriperent. Glossa Græca author: DEUS Israelem afflictari permisit, ut Ægyptiorum deos tartareos odio haberent, atque ex Ægypto egrederentur alacrius. Quod aequo animò non fecissent, si in Ægypto victum, tranquillamque vitam habuissent. Escobar t. 6. Par. Chr. S. 3. Obs. 2. l. 3.

*O*rate Dominum. Exod. 9. 28. Origenes: nescire Dominum se ait Pharaon. Ex. 5. 2. Vide, quid agat cruda superbia! Donec in laboribus hominum non est. Pl. 72. 5. 6. & cum hominibus non flagellatur; propterea tenuit eum superbia. Denique videbis eum paulò post, quantum proficit in flagellis, quantum melior verberatus afficitur. Ille, qui modò dicit: nescio Dominum; postea, cum vim sentit verberum, dicturus est: *Orate Dominum.*

*Fecit Moses serpentem - quem cum percussit aspicerent, sanabantur.* Num. 21. 9. Deus per serpentem aneum lanavit morsos à serpentibus. Sic labores, & adversa, quibus nos percudit, sunt instrumenta, quibus animæ vulneribus medetur. Diez conc. 2. D. 5. Epiph.

*Cornua rhinocerotis; cornua illius.* Deut. 33. 17. Ut enim cornua rhinocerotis acuta sunt quidem ad feriendum, & salutaria ad medicandum; ita & labores, qui nobis à Christo Domino inferuntur, plagas quidem corporibus, animis tamen, afferunt, sanitatem. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 8.

*Nunquid mare ego sum, aut cetus? quia circumdedisti me carcere.* Job. 7. 12. Responderi potest: ita prorsus se rem habere. Cum enim inter Orientales esset magnus divitiis, honoribus, liberis, amicis; timendum fuit, nè tanquam cetus in prædulci aqua corrumpere: idèò multò sale tribulationum condiri debuit. Incertò Auth.

*Nigra sum; sed formosa.* Cant. 1. 4. Nigra propter tribulationem; formosa propter conscientie puritatem. Hugo. Card. in Num. 12.

*Spiritu S. & igni.* Matth. 3. 11. Author Imp. intelligit tribulationes, quibus, quasi igne, suos affligit Christus, & mundat. Duplex est sensus, alter significans solenne principium ablutiois totius humani generis celebratum in die Pentecostes: alter significans baptismum tribulationis. Cajetanus hic.

*Ex Patribus, & Aliis.*

Sicut novaculà pili superflui de corpore amoventur; & acutis pectinibus purgantur lana; & capita à facibus suis, & panni acrimonià saponis, & lixivio, aut fullonum herbis,

mundari solent: sic justorum mentes à tribulationibus toleratis. S. Bernardinus tom. 1. f. 8. art. 1.

Sicut vestes diu inclusas, & à tinea corrosas, vel nimio pulvere resperfas, aliquando virgâ percutimus, ab eis vermes, & pulverem, percutientes excutimus: sic Deus homines nimio luxu, & abundantia, corruptos; illecebrosos appetitibus, velut vermibus, corrosos; vanitatis, & cupiditatis pulvere foedatos; tribulationis virgâ, excusâ vanitate & carnalibus desideriis extinctis purificat. S. Thom. Vill. conc. 3. de M.M.

Sicut cibus adhæret vasi, in quo coquitur, nisi moveatur; & perdit saporem debitum, debitumq; colorem: sic cor hominis adhæret isti Mundo; nisi moveatur per tribulationes. Idiota contempl. l. 2. c. 1.

Recentes, & usui aptæ, animalium carnes, nullò præveniente fetore, sale condiuntur, nè scateant vermibus. Multò magis boni, nè in virtutibus otio marceant, aguntur adversitatibus. Sim. Cass. l. 1. c. 25.

Vidua est virtus, quam non patientia firmat, Flagellò Domini pulvis excutitur; quem ad deformationem animæ iniquitas assidua congestit: & exteriori vulnere sanatur plaga interior. Blesensis ep. 31.

Mappa ex lino Indico in ignem injecto. Lem. Terget, non uret. Atque id causæ fuit, teste Plinio l. 19. c. 1. cur ex eo lino contextuerint olim sacculos, ad servandos in sepulchrali pyra Imperatorum cineres. Ceterum indicare voluit Author Symboli: arumnis vita hujus purgari, non uri animum suum.

Trochus. Lem. Cadit, nè cadat. Picinelli Vel. Dant animos plage.

Liber foliis absinthii coopertus. Lem. Tinea procul. Idem.

Num. 2.

*Testimonia.*

*Ex Veteri, Novo, Patribus.*

*Sepi viam tuam spinis.* Of. 2. 6. Spinæ namque adversitatis utiliter compungunt, atque lacerant pedem ad malum currentis, & inhiantis deliciis perniciosus: ut saltè spinarum talium commonita anima rationalis dicat: vadam, & revertar ad virum meum priorem. S. Rupertus hic. S. Hieron. ex quo intelligimus, quòd providentiâ Dei sæpe nobis accidunt mala; nè habeamus ea, quæ cupimus; ac variis calamitatibus hujus sæculi, ac miseris, ad Dei servitutum redire cogamur.

*Effundam, quasi aquam, iram meam.* Of. 5. 10. Sicut aqua visibilis mundare solet sordes corporeas; ita illa captivitas mundavit populi peccata. Rupertus hic. Cur ira divina potius aquæ, quàm igni, comparatur? quia lavat à sordibus.

*Cum immundus spiritus etc.* Matth. 12. 43. Mens in tribulatione posita est locus ille aridus. S. Bernardinus f. 8. Art. 1.

Rubigo quædam apprehendit otiosam animam, & consumit splendorem, ac alia omnia. Quam rem detergetur rubigo illa? cote tribulatio

tribulationum: illæ utilem animam facient, & ad omnia accommodam S. Chrysoft. hom. 35. in Acta.

Non potest ab afflictâ anima aliquid mali fieri. Noster pädagogus est afflictio. Id. ib. hom. 42.

Tunc anima purgatur, cum propter Deum affligitur: tunc majori fruitur auxiliò, cum ampliore eget subsidio; gratiamq; meretur copiosiore. Quod auro ignis, hoc animabus afflictio; sordes purgans, puros reddens, splendidos efficiens, & hilares. Idem hom. 26. in 2. Cor. 12.

Omnis, qui malum aliquod hic patitur; vel patitur, ut peccata dissolvat; vel ut coronæ augeantur. Theophylactus in Matth. 2.

§. XII.

### Tribulationes retrahunt ab Inferno.

Ex Veteri, Novo, Patribus & aliis.

**I**n sex tribulationibus liberabit te; & in septima non tanget te malum. Job. 5. 19. Quæ sunt fames, frigus, labor, morbus, mors. His percutit Dominus, & liberat. Septima est poena æterna, quæ penitus non tangit eos. Hugo Card. hic.

*Hec sit mihi consolatio &c.* Job. 6. 10. q. d. scio, quod Dominus hic quibusdam parcit, ut in æternum feriat: sed me, hic non parcens, feriat: quod mihi est consolatio. Idem hic.

*Domine, ne in furore tuo arguas me.* Pl. 6. 2. Non supplicat Domino Patri, ut non arguatur; sed ne in Judicii severitate culpetur: quia hic multis argui salus est. Apoc. 3. 19. *Ego, quos amo, castigo.* Cassiodorus hic. Petit, ut ante Judicium, non in Judicio, corripatur: quia, qui ibi arguitur, sine dubitatione damnatur. Idem ibidem.

*Domine, ne in furore - quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Psal. 37. 3. Secura est causa probabilis, ut in illo Judicio jam non debeat puniri, qui malis præsentibus vehementer afflictus est. Dominus enim, cum hic vindicat, ibi parcit: quoniam clementia ejus in idipsum duas non exigit ultiones; sicut scriptum est Nahum 1. 9. 12. *non affligam te ultra non judicabit Dominus bis in idipsum.* Cassiodorus hic.

*Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie archis.* Pl. 59. 6. Per tribulationes, inquit, temporales significasti tuis fugere ab ira ignis sempiterni. S. August. hic.

*Expandit rete pedibus meis.* Thren. 1. 13. Quia eos post voluptates, & desideria cordis eorum, prospere ulq; ad finem vitæ iræ non permisit; sed convertit eos retrorsum: ut dolores, & durissimas sentirent angustias tribulationis, pro suis pessimis adinventionibus. S. Paschasius hic.

*Factus est Dominus, velut inimicus.* Thren. 2. 5. Mirâ dispensatione temperat sententiam severitatis: dum quasi, & non ex toto, inimicus dicitur: quia etsi eam videatur deserere in manibus hostium; & affligere aliquoties in tantum, ut penitus destituta credatur. Non de crudelitate inimicitiarum fortè venit, si se demum converterit; sed de providentiâ pietatis; ut ad eum flagellata redeat. Idem hic.

*Accessit, & tetigit loculum.* Luc. 7. 14. Quoties & tu ad Inferni sepulchrum properas? misericors autem Dominus tangit manu loculum, corpus divitias, &c.; mittendo morbum, infortunium: ut te retineat, & ad vitæ gratiam revocet. Stella hic.

*Et nunc manus Domini super te: & eris cæcus; non videns solem usque ad tempus.* Act. 13. 11. Cur S. Paulus Elymam magum potius percutit cæcitate, quàm aliâ poenâ? S. Chrysoft. hom. 28. in Acta: quò ille adductus est signò, hóc & hunc voluit adducere.

Melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus. S. August. 1. de decem chordis c. 9.

Quàm multa habeant impii in hac vita munera, & dona gratuita, ab illo, quem contemnunt; enumerare quis potest? Inter quæ illud magnum, quòd exemplis interpositarum tribulationum, quas hujus sæculi dulcedini, tanquam bonus medicus, miscet: admonet eos, si attendere velint, fugere ab ira ventura. Et cum in via sunt, id est, in hac vita, concordare cum sermone Dei, quem sibi adversarium fecerunt malè vivendo. Quid ergo non misericorditer hominibus præstatur à Deo, à quo etiam tribulatio beneficii est. Nam res prospera donum est consolantis; res autem adversa donum est admonentis Dei. S. August. ep. 87.

A Domino castigari, & tanquam à pädagogo erudiri, est, à morte liberari. *Virga tua, & baculus tuus; ipsa me consolata sunt.* Clem. Alex. 1. 1. præd. c. 7.

§. XIII.

### Tribulatio est schola; docet, illuminat.

Figura, & Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

**D**E felle piscis linivit oculos patris sui. Tob. 11. 13. Tribulatio est illud amarum fel, quò oculi Tobie, id est, viri justi, ad Dei cognitionem fuerunt illuminati. Bernardinus tom. 1. l. 8. Art. 2. Plerumq; bonus activus per amorem terrenorum, quasi calorem stercoreum, excœcatur: sed Dominò visitante per amararam compunctionem, tanquam fellis unctiorem, curatur; & ad speculationem celestium revocatur. S. Bonaventura in Pl. 118.

*Respondens autem Dominus Job de turbine.* Job. 38. 1.

*Exaudiat te Dominus in die tribulationis.* Pl. 19. 2. Tribulatio dies dicitur: quia illuminat. Hugo Card. hic.

*In terra deserta, & in via, & in aquositate viderem virtutum tuam, & gloriam tuam.* Pl. 62. 3.

*Vidi, & ecce ventus turbine veniebat ab aquilone.* Ezech. 1. 4. inter turbines, videt divinitatem.

*Igitur ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi, - altissimo benedixi.* Dan. 4. 31. Tantum utilitatis ex calamitatibus percepit; ut Prophetæ instar, de Deo sentiat, & loquatur. Theodoretus.

*Et sedens docebat de navicula turbas.* Luc. 5. 3. Ut doceremur; nullum esse capiendæ sapientia

Kkkkk 3

pietia

pietiae lycæum accommodatus, quàm concussum tempestatibus æquor. Oliva l. 1. Strom. §. Benedixit illis Simeon.

*Elevans oculos suos, cum esset in tormentis.* Luc. 16. 23. Tribulatio aperit oculos, & sæculi alterius beatitudinem contemplatur. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 3. Sect. 2. Obs. 2.

*Collyriū inunge oculos tuos.* Apoc. 3. 18. Collyrium est tribulatio; quæ per sui amaritudinem mentem illuminat. Albertus M.

#### Exempla. Ex Veteri.

*Orate Dominum.* Exod. 9. 28. Ecce Pharaon durissimus; tamen proficit verberatus. Ante verbera Dominum nescit; verberatus pro se supplicari Dominum rogat. Orig. hom. 3. in Ex.

*Disciplina tua ipsa me docebit.* Pl. 17. 36. Quæ non didicerat in thure, nec hauserat in arca; informandum se iis fugâ, latebrisq; sperabat. Plus eum Absolonis fica imbuit, quàm bacillus Samuelis. Oliva l. 1. Strom. §. Benedixit illis Simeon.

*Beatus quem tu erudieris Domine.* Pl. 93. 12. Variabilis ex Hebr. *beatus, quem tu castigaveris Domine.* Quemadmodum parvi pueri doctrinam despicientes, ob ferulas, flagellaq; quæ Magistri, & pædagogus adhibere solent, attentius dictata suscipiunt; & ipse sermo ante plagas non auditur; post verbera, doloresque, veluti statim apertis auribus, & auditu, excipitur oratio, & memoriâ custoditur. Sic, qui divina audiunt præcepta, & ad ea servand se negligenter habent; postquam ex Deo disciplina eis inflicta est, ad ipsius mandata servanda, ac ei obtemperandum, voce quadam excitari videntur: ex quo ipsorum auribus sapientia statim admittitur. S. Basilius l. in principium Proverbiorum.

*Castigasti me, & eruditus sum.* Jer. 31. 18. Ergo virga plumescit in calamum, vulnus pallescit in chartam: liber, non livor, est, qui plagam ambit. Oliva l. 1. Strom. §. Benedixit illis.

#### Ex Novo.

*Si filius Dei es; dic, ut lapides isti panes fiant.* Matth. 4. 3. Tunc ignorat diabolus, an Christus sit Dei filius. Postea verò Matth. 8. 29. clamaverunt: *quid nobis, & tibi, Jesu fili Dei? venisti ante tempus torquere nos.* Origenes: ubi tormenta senserunt, sciunt Dominum. Ante flagella dicunt, nescio Dominum.

*Vir plenus leprâ, & videns Jesum. &c.* Luc. 5. 12. Vexatio ejus aciem acuit oculorum, ut Deum intueri posset. Quot in eadem via bene valentium oculi Jesum despexere! quot, dum solum lumen oculorum recipiunt, cum adversâ valetudine ad lectulum alliduntur! Oliva l. 13. Strom. Luc. 5.

*Vos vocatis me Magister, & Domine; & bene dicitis.* Joan. 13. 13. Bonò ordine hæc duo junguntur: Dominus timorem incutit; otiantem servum, aut malè operantem, flagris accipit: Magister verò docet, ignorantia tenebras depellit. Pinna Ethol. 10.

#### Ex Patribus, & Aliis.

Calamitas prudentia consilia ut plurimum parere solet. S. Joan. Damasc. orat. 2. de As. B. V. Ezechias, cum esset in tribulatione, vide, qualia faciebat pro salute sua: faccum induit, & in terra sedit, 4. Reg. 19. 1. Ubi autem in deliciis esse cœpit, cecidit præ altitudine cordis sui. - Quando tribulabantur Israëlita; multo plures siebant: quando autem illos dimisit; tunc omnes peribant. S. Chrysof. hom. 16. in Acta.

In præfenti vita, velut in ludo quodam literario, per morbos, tribulationes, tentationes, paupertatem, & alia, quæ gravia videntur, imbuimur; quatenus ad futurorum bonorum receptaculum idonei reddamur. Idem hom. 10. in c. 6. Rom.

Magnum est bonum tribulatio. Et hoc ex nostris discimus filiis: nam absque tribulatione nihil utile discerent; nos autem plus illis afflictionis indigemus. Si enim illic passionibus quiescentibus illos muniunt; multo magis nos, & præfertim tantis detentos: sed nos potius pædagogos oportebit habere. A puerulis enim nunquam magna committuntur peccata; à nobis verò magna nimis: pædagogus autem noster, tribulatio. Idem hom. 62. ad pop. Ant.

Henricus Suso, postquam diris afflictionibus corporis à decimo octavo ætatis anno ad quadragesimum se exercuit, in extasi visus sibi videre juvenem egregium cum hac voce: diu satis in minoribus, & trivialibus exercitatus es scholis; jam tempus est, ut ad altiora contendas. Ductus ergo ab illo in domum quasi Religiosam; in qua morabantur viri seipso per omnia abnegantes: traditus est illius disciplinæ Magistro &c. Bollandus 21. Jan.

#### §. XIV.

*Tribulatio prodest virtuti, perfectioni. Figure, Symbola.*

#### Ex Veteri, & Novo.

*Crescere mescit Deus in terra paupertatis mea.* Gen. 41. 52. Ordinavit omnipotens, multos per tribulationes, & adversa, plus crescere: quoniam proprium est virtutis, adversitatibus prosperari. Unde de filiis Israel legitur, Ex. 1. 12. quòd, *quantò opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, atque crescebant.* Optimè radicata noscitur virtus, quæ crescit inter adversa: & dum sævi fluctus insurgunt, in altiora ipsa confurgit. Sim. Cass. l. 14. Joan. 21. 6.

*Si dormiatis inter medios Cleros &c.* Pl. 67. 14. Hebr. *Si dormiatis inter medios tripodas & ollas;* ex quarum contactu denigrati aliquantum fueritis: scitote tamen, quòd tunc potius estis formosi; sicut columbæ; quæ argentatas, & candidas, habent pennas, quibus ad cœlestia volent: & dorsum, quò ipsas tribulationes pertulistis, erit fulgerti charitatis auro splendidum. de Ponte in Cant. 1. Exh. 22. §. 1.

*Simile*

*Simile est regnum caelorum grano sinapis.*  
 Matth. 13. 31. Granum sinapis, nisi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus agnoscitur: nam non contritum lene est, si verò conteritur, inardescit; & quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic unusquisq; vir sanctus, cum non pulsatur; despiciabilis, ac levis, aspicitur: Si verò illum tritura persecutionis opprimat; mox omne, quod, calidum sapit, ostendit; atque in fervorem virtutis vertitur, quidquid in illo antè despiciabile, infirmumq; videbatur. S. Gregor. Praef. in Job.

*Ex Patribus, & aliis.*

Nemo vires suas in pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improvidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur. S. Gregor. mor. l. 23. c. 18.

Agit hæc divina misericordia; ut ex una, eademque re, ex qua carnalibus dat flagellum, ex ea spiritualibus virtutis præstet incrementum. Cumque illos per tribulationem purgat, istos ex societate tribulantium ad majora præmia excitat. S. Gregor. hom. in Ezech.

Sicut unguenta, nisi commota, redolere latius nesciunt; & sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cum incenduntur, expandunt: ita sancti viri, omne, quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt. S. Gregor. Praef. in Job.

Gubernatoris peritiam non probat temperies serena, sed procellosa tempestas. Blandiente aurâ navim regit ultimus nauta: in confusione ventorum primi quaritur ars magistri. S. Chrysol. l. 20.

Frumenti granum projectum in terram, & mortuum; cum juxta siccum lapidem pullulasset, liliū ita fertur illi dixisse. Unde tibi contrito, & mortuo, spiritus germinandi? cum ego, quando conteror, eò ipsò perdor? Cui granum respondit: hoc mihi ex virtutis granditate contingit: quâ fit, ut passio mea, sit mea actio; & dum morior, revivisco. Phoenix mortua generat; & cinnamomum contritum plus inflammat. Sic infirmum membrum sine dolore tangi non patitur; & sanum, dum tangitur, delectatur. S. Cyrillus Apol. c. 21.

Est quædam in fabulis arbor, quæ secta floret, & cum ferro certamen suscipit: acsi novum, ac insolens quoddam, proferendum est de re nova, & inaudita: morte vivit, & sectione germinat; incrementum denique sumit, cum absumitur. Hæc quidem est ipsa fabula, fingendi libertas. Mihi verò videtur omnino quiddam hujusmodi esse philosophus: ærumnis incalescit; casus tristes materiem virtutis existimat. S. Gregor. Naz. orat. 13.

Ubi vincula sunt, illic necesse est magnum quid fieri: ubi afflictio, illic omnino & salus est; illic prorsus magna sunt virtutes. Diabolus enim, quando calcatur, tum potissimum percutitur: quando servos DEI ligat; tum maxime sermo DEI crescit. S. Chrysol. l. 8. in Eph.

Job passionibus videtur magis, quam vir-

tutis actionibus, profecisse: nam neque ita illustrius est habitus, cum pecuniam possidebat, cum domum pauperibus referabat, substantiamq; erogabat: quam quòd audiens ruinam non se acerbe agit &c. Idem hom. 5. de patientia Job.

Tolera tribulationes: inter ipsas enim virtutes, quemadmodum inter spinas rosa nascuntur, & germinant. S. Nilus Cap. paræn.

Quemadmodum cannabi, ac lini, species non est idonea, ut ex eo fila, subtilissima, fiant; nisi diutius elaboreretur, atque exerceatur: imò quânto magis illud torquetur, tantò purius, aptiusq; efficitur. Sic & anima Deo devota multas probationes, atq; tentationes, subiens; afflictionisque fortiter tolerans; purior, utiliorq; ad spirituale extenuationis, & humilitatis, opificium redditur. S. Ephrem de Patientia.

Lucerna, licet videatur extingui, cum emungitur; tamen clarior redditur: sic Sancti, licet tribulationibus premantur; tamen lucidiores redduntur. Hugo Card. in Joan. 6.

Nunquam servatur vinum bene in bonitate sua, nisi in fœce: nec boni, & justi, in virtutibus stare, & proficere, possunt; nisi probentur tribulationibus; & iniquorum persecutionibus. Revel. S. Brigitæ l. 1. c. 22. Verba B. V.

Sicut in mari, & aquis amaris; majores, pinguiore, dulcioreque, pisces reperiuntur, quam in dulcibus fluminibus: ita in mari penitentia, austeritatis, paupertatis, tribulationis; majores, perfectioresque Sancti. Diez. conc. 5. in Comm. MM.

Equus. Lem. *Dant animos plage.* Picinelli.

Spica. Lem. *Perficitur estu.* Idem.

Cithara. Lem. *Ex pulsu metos.* Citharizamus, cum in passionibus nostris, vel damnis, securi, aut læti, dicimus: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Cassiodorus in Pl. 32. Idem.

Ignis. Lem. *In crescit malis.* Vel: *Contraria juvant:* id est, venti: ignem charitatis persecutiones magis inflammant. Idem.

Chorda musica. Lem. *Plus torta, plus musica.* Athenienses de pace non nisi atriti cogitabant: ita pleriq; nostrum vix de Deo, nisi afflicti. Just. Lipsius cent. 3. ad Belg. ep. 4. *In tribulatione sua manè consurgent ad me.* Ol. 6. r. Idem.

Torcular. Lem. *Dum comprimit, exprimit.* Idem.

§. XV.

*Affinis priori Tribulatio facit probum adducit ad Deum, invenit Christum.*

Num. 1.

*Figuræ, Symbola.*

*Ex Veteri, & Novo.*

*Nunquid habemus residui quidquam in facultatibus, & hereditate domus patris nostri? Gen. 31. 14.* Sicut illas conjuges Jacobi adversa impulerunt, ut illum relinquerent patrem, qui filiarum comedisset pretium; & talem sequerentur virum. Sic & adversa Mundi plerumq; dilectam Deo juvant animam; ut anhelantiùs tendant ad Deum. Rupert. hic.

*Apparuit*

illò tempore. Stella de contempt. p. 1. cap. 79.

*Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Ex. 3. 2. Cur inter flammam, & spinas? cur non in throno excelso, ut Isaiæ: vel curru mirabili, ut Ezechieli: vel in gloria majestatis, ut ei in monte Sinai? Missurus erat Moyses in Ægyptum, inter pericula & spinas persecutionum; ut ex tali visione disceret patientiam. Christus inter spinas, flagella. Vis Christiane ad eum pervenire? perge per crucem, spinas: aliter non habebis accessum. Sylveira in Apoc. 1. 18.

*Cum, secundo mississet, & ille noluisse venire ad eum &c.* 2. Reg. 14. 29. Abfolon, cum bis vocari curaret Joab, obsecrans, ut ad se veniat; ille verò venire noluisse; jussit Abfolon servos suos succendere igni agrum Joab. Quod cum fecissent, venit Joab ad Abfolon; ut de illato sibi damno conquereretur. Quà occasione Abfolon prolixè cum eo locutus; quidquid ab eo volebat, obtinuit. Eòdem modò, cum non vis audire suavem, & amicam Dei vocationem; nec ea, quæ per suos Prædicatores tibi significat: tunc jubet suas creaturas variis te calamitatibus affligere: ignem, ut domos tuas incendat; grandinem, ut vineam, & agros, destruat; morbum, ut corpus vexet, de Ponte tom. 1. de perf. Christ. hom. tr. 1. c. 13. §. 3.

*Ab aquilone aurum venit.* Job. 37. 22. Alii dixerunt: ab aquilone nubes aurei coloris. Ità enim Sanctos homines, qui sunt nubes Dei, tentant frigora aquilonis: ut eos pretiosos, & igne charitatis rutilos, reddant. V. B. hic.

*Percussit petram, & fluxerunt aquæ.* Pf. 77. 20. Sponsa virgam verberantem sponte suâ recipit. Cant. 5. 7. Imitatur saxum illud, de quo vates: percussit &c. Eam nimirum ob causam percussa, velut rupes, illa à Moysè: ut ad similitudinem illius, & ipsa Verbum Dei de vulnere àmbrosi instar effusum, pro sitientibus quasi quandam scaturiginem emittat. S. Gregor. Nyss. in Cant. hom. 12.

*Fasciculus myrrhæ.* Cant. 1. 12. Nè excutias myrrham: Dilectus latet inter fascem. Cave, nè dolores repellas: quia salutare tuum in infirmitate rejicies. Absconditus vultus ejus. Verè tu es Deus absconditus. Isa. 45. 15. Audite hæc domus Jacob, qui vocamini nomine Israël. Isa. 48. 1. Nomine, Israël estis, non re: qui Deum non videtis latentem in myrrha. Oliva t. 2. Strom. §. Dirumpamus vincula.

*Sicut lilium inter spinas.* Cant. 2. 2. Cave, nè perdas lilium, dum spinas fugis. Latet lilium in spinis; splendet Deus in rubo. Si corticem consilii times, unionis pretiò defraudaris. Tenebras fugiens perdes lucem illam, quæ lucet in tenebris. A tabernaculo Salomonis recedis, dum pelles ei circumdatas spernis. Dum times virgam egredientem de radice Jesse, amittis florem ex ea ascendentem. Lia, quam despicias, pariet tibi Judam; è cujus germine & reges prodibunt, & Rex regum orietur. Si lippientem recusas, solem justitiæ è stirpe tua erumpere non videbis. Idem ibidem.

*In lectulo meo per noctes quasiivi, quem diligit anima mea: quasiivi illum, & non inveni.* Cant. 3. 1. Surgit, quarit Dilectum.

*Invenerunt me custodes paululum cum pertransissem.* Cant. 5. 7. Vulnerata fruitur; delictis affluens requirit. S. Ambros. hic: bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat: ut Deum visura, mundò corde gradiatur. Naxera in Jos. 10. §. 21.

*Anima mea desideravit te in nocte.* Isa. 26. 9. De nocte, id est, tribulatione, & cruce; per quam nos ducis ad gloriam, suspirabo ad te. Cornelius hic.

*In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Os. 11. 4. In funiculis Adam trahit, quando dolorem incutit, aut timorem in vinculis charitatis; cum vel beneficia exhibita recolit, vel exhibenda promittit. Hugo Card. in Gen. 1. Funiculi Adam sunt flagella: quia & ipse primus, & per eum nos flagellati sumus. Vincula verò charitatis sunt Dei beneficia. S. Bonaventura f. 2. fer. 4. Pent. Non dixit funibus: quia dolores, & afflictiones hujus Mundi nihil sunt in comparatione pœnarum Inferni. Funiculi Adæ, sunt labores, & miseriæ, hujus Mundi: quibus Deus trahit nos ad se; qui nihil sunt aspectu gloriæ. S. Vinc. Ferr. f. fer. 4. Pent.

*Fube me ad te venire super aquas.* Matth. 14. 28. Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic pervenit ad Dominum: ostendens nobis; quod non nisi per pericula properetur ad Christum. S. Ambrosius hic.

*Dolentes quærebamus te.* Luc. 2. 48. Porta cæli absque clave crucis aperiri non potest. Si Christum in templo gloriæ invenire volumus, quærendus cum dolore, luctu, lacrymis, ac patientiâ. Did. Niss. D. 1. Epiph. §. 4.

*Ex aliis.*

Ferrum ignitum malleò contusum. Lem, Dant vulnera formam. Picinelli.

Tela acu picta. Lem. Avulnere decor. Idem. Culter tonsorius, Lem, Detrahitis, & decorat. Idem.

Organum. Lem. Sub pondere melos. Idem. Horologium Caroli V. in annulo. Lem. Pungit sed monet. Quid non misericorditer præstat hominibus à Deo; à quo etiam tribulatio beneficium est. Nam res prospera, donum est consolantis; res adversa donum est admonentis Dei. S. August. ep. 87. Idem.

Typotheta, imaginem sub prælo dum premit, imprimi. Lem. Fitngit, premento. Æneidos 6. Vel.

Dant pretium plaga. Masenius.

Num. 2.

Testimonia.

Ex Veteri.

*Mansunculas in arca facies.* Gen. 6. 14. Hugo Vict. l. allegor. in Gen. 16. Arca est anima sancta; vel secretum conscientiæ: aquæ tentationes. In arca nullus legitur genitus: erat enim locus, & tempus, pœnitentiæ. Ità ille, Arcam Noè homines intrarunt octo, utriusq; sexus: cumque annò integrò fuissent inclusi; iidem illi octo solùm exierunt. Tribulatio enim, non tantum ab illicitis, sed licitis etiam, voluptatibus retrahit. Inò nè quidem agnus, vel leo, vel aliud animal, natum est in arca totò

Clamor

*Clamor filiorum Israel venit ad me.* Ex. 1. 9. Vide, quid faciat afflictio: compellit invocare Deum. Cornelius hic.

Job Deum benedixit, non felix, sed miser.

*Virga tua, & baculus tuus; ipsa me consolata sunt.* Psal. 22. 4. Virga pertinet ad iustitiam, & fortitudinem, Domini Salvatoris; sicut Psal. 44. 7. dicitur: *Virga directionis, virga regni tui.* Baculus ad adiutorium humanum respicit: quod & pes ipse cautè defigitur, & totum corpus nisi desuper incumbentium sustentatur. Sed videamus, quem admodum nos utraque consolari poterunt, cum res omnino diversæ sint: baculum quippe non est dubium consolari, qui ad opem ferendam humanæ semper imbecillitati assumitur. De virga quid dicemus? quæ percutit, affligit, & vitia nostra iudiciariâ potestate castigat? Consolatur planè & ipsa Fideles; quando eos ad viam Domini, adhibitâ emendatione, perducit. Nam rectè consolari dicimus omne, quod adjuvat; etsi ad tempus nos pro sua distinctione contristat. Unde Hebr. 12. 11. *omnis disciplina in presenti, videtur quidem non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum affert pacatissimum* &c. Casiodorus hic.

*Sacrificium DEO Spiritus contribulatus.* Psal. 50. 19. In tantum prodest tribulatio Christiani, ut per hanc Spiritus noster DEO sacrificium fiat. B. Fulgentius ep. 7. ad Venantiam de pœnitentia

*Et locutum est os meum in tribulatione mea.* Psal. 67. 14. Quid locutum? *holocausta medullata offeram tibi.* v. 15.

*In die tribulationis meae Deum exquisivi.* 76. 3.

*Cum occideret eos, querebant eum.* Psal. 77. 34.

*Tribulatio, & angustia, invenerunt me.* Psal. 118. 143. quali perquirant hominem. Ideo: *mandata tua meditatio mea est;* scilicet ad servandum. S. Vinc. Ferr. l. 6. D. 16. Trinit.

*Ad Dominum, cum tribularer, clamaui.* Pl. 119. 1.

*Factus est Dominus velut inimicus.* Thren. 2. 5. Mirâ dispensatione temperat sententiam severitatis; dum quasi, & non ex toto, inimicus dicitur. Quia, etsi eam videatur deserere in manibus hostium, & affligere aliquoties in tantum, ut penitus destituta credatur: non de crudelitate inimicitiarum fortè venit, si se demum converterit, sed de providentia pietatis, ut ad eum flagellata redeat. S. Paschasius, hic.

### Ex Novo, & Patribus.

*Ecce princeps unus accessit, & adorabat eum.* Matth. 9. 18. S. Marcus 5. 22. ait, non solum adorasse, sed etiam ad pedes ejus provolutum. Quid hunc principem sic humiliavit? non dubium, quin maxima illa calamitas, quâ premebatur. Hic est primus calamitatum fructus. Diez D. 23. Pent. c. 1. *Rehantbea Sacra. Tom. II.*

Tum maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficiis ejus fruente honorem dare divinæ indulgentiæ deberent. At verò, si quæ necessitas gravis prefferit, tunc Deum recordantur. Lactantius l. 2. insulit.

### §. XVI.

#### Tribulatio facit suspirare cœlum.

*Urgebantque Egyptii populum exire de terra velociter.* Exod. 12. 33. Compellunt nos exire de Egypto presentis vitæ habitatores; scilicet tribulationes, morbi, paupertas, mors ipsa; faciuntque nos sic ambulare ad terram promissionis. de Rampelgis Mundus.

*Pondus, & statera, judicium Domini.* Prov. 16. 11. Sicut tribulationes: has enim iustò iudiciò ita librat Deus; ut viribus hominis tum naturæ, tum gratiæ, congruant, ac ferendo sint. Rursum, sicut in libra, si in una bilance pondus imponas, altera prius depressa attollitur: sic Deus onus tribulationis corpori imponit, ut mens, prius in terram depressa, sese elevet ad Deum, & amorem cœlestem. Cornelius hic.

Ventus elevans fluctus.

### §. XVII.

#### Tribulationis varii fructus, & præmia.

#### Ex Veteri, & Novo.

*Quare negligitis?* Gen. 42. 1. Quæres: quâ ratione Joseph tam diu incognitus mansit in Egypto, putâ viginti tribus annis; ita de se nihil unquam nuntiavit Patri, adeò propter se mœrenti. Cur hoc ita fieri, & celari, voluit Deus? Respondeo, quia Deus hoc quasi purgatorium mœroris voluit dari Jacobo, ob levia ejus quædam peccata: tum quia nimis, & cum invidia fratrum, amaverat Josephum, Solet enim Deus nimios Sanctorum, circa rem, vel personam aliquam, amores hœc modò per adversa, quasi vinum injectâ aquâ temperare. Itâ S. Aug. l. 82. de temp. apud Cornelium hic.

*Non introducet is hos populos &c.* Num. 20. 12. Fuit hoc insignis pœna, & mortificatio, Moyse; quòd terram præmissam, adeò concupitam, videre non potuerit: quodq; Ducatus sui longissimi, & molestissimi, sine ac fructu, frustratus fuerit. Cornelius hic.

*Habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi.* Job. 7. 3. In hac vita quædam laboriosa sunt, quædam vacua; quædam verò vacua simul, & laboriosa. Amore quippe Conditoris, presentis vitæ tribulationibus exerceri, laboriosum quidem est; sed vacuum non est. Amore autem sæculi, voluptatibus solvi; vacuum quidem est, sed non laboriosum. Amore verò ejusdem sæculi adversa aliqua pati; & vacuum simul est, & laboriosum: quia ex adversitate mens afficitur: & remunerationis præmiò non repletur. In his itaque S. Ecclesia, qui in ea positi adhuc voluptatibus difflunt, & proinde fructu boni operis non ditantur; menses vacuos ducunt: in his verò, qui æternis desideris dediti,

Mundi hujus ad verfa patiuntur; laboriofas no-  
des enumerat &c. S. Gregor. mor. l. 8. hic.

*Honestavit illum in laboribus.* Sap. 10. 10.  
Græc. *ditavit cum in arumnis.*

#### Ex Patribus, & aliis.

Horrorem operis fructus excusat: ululans  
ille, & gemens, & mugiens, inter manus me-  
dici; postmodum eandem mercede cumula-  
bit, & artifices optimas prædicabit, & sævas  
jam negabit. Tertull. c. 5. Adv. Gnost.

Ut caro mollibus, sic anima duris, nutritur:  
illam blanda refocent, hanc aspera exercent:  
illa delectationibus pascitur; hæc amaritudini-  
bus vegetatur &c. S. Gregor. mor. l. 10. c. 13.

Nisi tentat; nec corona: nisi certamina;  
nec præmia: nisi studia; nec honores: nisi tri-  
bulatio; nec remissio: nisi hyems; nec æstas,  
S. Chrysof. hom. 4. ad pop.

Sicut firmas arbores ventorum impetus ir-  
ruens, & undique jactans, non evellit; sed &  
solidiores, ac firmiores his incurfibus reddit:  
sic & animam sanctam, & piè viventem, ten-  
tationum incurfus, & tribulationum non sup-  
plantant; atque etiam ad majorem patientiam  
præparant. S. Chrysof. ibid.

Prosperitas laqueus est; culter incidens hunc  
laqueum adversitas. Guigo de tranquill. animi  
c. 14.

Nusquam secunda est anima Christiana, nisi  
in adversis. Idem 16.

#### §. XVIII.

#### Tribulatio parva, & brevis.

Num. 1.

#### Figura, & Symbola.

#### Ex Veteri.

**G**eneratione autem quartâ revertentur  
huc. Gen. 15. 16. Prænuñciabat Dominus  
Abrahæ amico suo; quod posteri ejus qua-  
dringentos annos in dura captivitate exacturi,  
demum verò in terram promissionis reversuri  
essent, dicens: *generatione &c.* Hoc ad con-  
solandum illum dixit; quod calamitates non  
perpetuò futuræ: habent enim levamen mi-  
seriæ, quæ finem habent. S. Hieron. ep. 36.  
nihil longum, quod finem habet. Didacus  
Nis. l. 4. c. 9. Vitæ Abr.

*Divides eam minutatim &c.* Levit. 2. 6.  
Optima est ferendæ tribulationis exhortatio,  
dum suades; nec longam, nec multiplicem, fo-  
re. Unde allegotizans Galfridus, oblationem  
similæ in sartagine frixæ, sed minutatim divi-  
dendæ, & oleo superfundendæ, sic scribit: o-  
portet molestiâ alicujus gravioris tribulationis  
afflicto, velut in sartagine frixo, solò oleo abun-  
dantiore consolationis subvenire; nè cremari  
incipias. Hæc divide minutatim. Dico autem,  
nè sicut quosdam insipienter interdum facere  
novimus ipse tibi dies, & annos, & longa tem-  
pora, coacerves; tanquam simul omnia debeas  
sustinere, quæ simul nequeunt provenire. Suf-  
ficiat magis dici malitia sua: ut considerans,  
quia non confurget duplex tribulatio, fixu-  
ram dividat minutatim, Ramirez in ep. 2.

*Calix in manu Domini vini mei plenus  
misso.* Pl. 74. 9. Sunt multæ proprietates calicis,  
quare præfens tribulatio calici comparatur:  
quia, ut scyphus pauca capit, id est, mensura  
parva est. Rom. 8. 18. *non sunt condigne.*  
Tegitur cooperculò pulchrò, id est, spe vitæ  
æternæ. Lætificat. Rom. 5. 3. *gloriamur in  
tribulationibus.* Hugo Card. hic.

*Torrentem pertransiit anima nostra.*  
Pl. 123. 5. Haberi non debet calamitas; si aut  
transit, aut pertransiit à nobis. Oliva fer. 2.  
Pasch. Dicitur adversitas torrens. Hugo Card.  
in Ecclæ. 1. 7.

*Oritur sol, & occidit.* Ecclæ. 1. 5. quia  
brevis est omnis adversitas præfens, quæ pro  
Domino sustinetur, respectu præmii, quod  
merecur. Hugo Card. hic.

*Fasciculus myrrhæ.* Cant. 1. 12. Myrrha,  
amara res, dura, & aspera, tribulationem signi-  
ficat. Ea sibi Dilecti causâ imminere propi-  
cians, gratulabunda loquitur: *fasciculus myr-  
rhæ.* Non fascem, sed *fasciculum*. Dilectum di-  
cit; quod leve præ amore ipsius ducat, quid-  
quid laboris imminet, & doloris. Bene *fasci-  
culus*: quia *parvulus natus est nobis*: bene  
*fasciculus*; quia *non sunt condigne passiones  
hujus temporis &c.* Erit quandoque nobis  
ingens cumulus gloriæ, qui modo est fascicu-  
lus myrrhæ, S. Bernardus f. 43. in Cant.

#### Ex Novo.

*Erat enim contrarius ventus.* Matth. 14.  
24. Hòc significatur; quod post Christi Ascen-  
sionem S. Ecclesia in hoc Mundo multa adver-  
sa esset passura. Eusebius Gallicanus hom. in  
Sabbatho post Cin.

*Potestis bibere calicem?* Matth. 20. 22. Ci-  
tò bibitur, quod infunditur calici: sic passio  
velociter transit. Et, quod liquidum est, dilabi-  
tur; & passio tota fluit. Quod mensuram ha-  
bet, perpetuum esse non potest: calix autem  
mensurata est potio. Sim. Cass. l. 7. c. 29.

*Mulier, cum parit, tristitiam habet quia  
venit hora ejus &c.* Joan. 16. 21. Tristitia  
parturientis brevis est; gaudium verò ex filio  
nato diuturnum. Per horam denotatur brevis  
dolor. Chrysof., Theophylactus. Euthym,  
Bonavent. notant, quod Christus tempus Pas-  
sionis, & mortis suæ, comparat parturitioni;  
Resurrectionem verò gaudio post partum. Syl-  
veira hic.

*Trans torrentem Cedron.* Joan. 18. 1. Vo-  
lens ire in hortum, per quem paradus intelli-  
gitur, transit per torrentem, id est, per tribula-  
tionem, & crucem. Dicitur *torrens*: quia cum  
impetu, & citò, transit. Hugo Card. hic. Tor-  
rens subitam, & defluentem citò, tribulatio-  
nem insinuat: non enim durabilia sunt Mun-  
di mala in aliquo. Defluxit torrens tribula-  
tionum, Apostolorum, & Martyrum: defluxit  
torrens persecutionum Imperatorum, adversan-  
tium omnium Regi Christo. Sim. Cass. l. 13. c. 8.

#### Ex Patribus.

Persecutiones sunt grandines, & torrentes;  
& quæcunque alia, subita sunt, & temporalia:  
quæ

quæ mollia quidem facillè lædunt, ac dissipant; à solidis verò, & resistentibus, si in illa incidant, magis patiuntur aliquid, quam ut illis incommodent. Et quemadmodum, ubi grandinis nubilum præterit, & torrens alveò suò effluit; illud in serenitatem dissolvitur, iste profundò absorptus, viam, quæ fluxerat, siccam, & aridam relinquit: ita & tempestas illa, quæ nos jam apprehendit, paulò post non erit; modò sustineamus, non inspicere præsentia; sed spem in ea extendere, quæ paulò sunt ulteriora. S. Basilius ep. 11. ad Nicopol. Presb.

Bonò animò estote! nebula enim est, quæ brevi evanescet, dixit S. Athanasius, cum Juliani Apostatae iussu Alexandrià in exiliu mpereretur, & circa se Christianos illacrymantes videret. Apud Cornelium in Ex. 2. 14.

Nè animum abiciamus, quando nos mala invaserint. Torrens est, cujusmodicunque sit; est nubes, quæ prætercurrit. Quidquid molesti dixeris, id habet finem. Torrens est ad tempus terribilis; & rursum supra modum deprimetur. S. Chrysostr. in Pl. 123.

Omnes vitæ tribulationes aquis comparantur prætereuntibus; propterea, quia si quid in hac vita tribulationis acciderit, non stat; sed celementer transit. S. Isidorus sent. l. 3. c. 58.

Num. 2.

Testimonia.

Ex Veteri.

*Palea non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum.* Exod. 5. 18. Moyses, & Aaron, mittuntur à Deo in Ægyptum, populi sui liberatores, & redemptores. Quid tunc? magis saevit ira Pharaonis: *Palea* &c. Qualis hic rigor? nonne hæc crudelitas signum est æternæ captivitatis, & oppressiois? Imò nullum clarius signum esse potuit vicinæ liberationis. Lipomanus in Catena: Sic ergo tunc maximè populus Dei affligitur, cum propinqua est salus, & liberatio. Bæza t. 2. l. 11. c. 6. §. 4.

*Lætabitur iustus in Domino &c.* Psal. 63. 11. Iustum in futuro dicit lætaturum: quia hic discipulos suos noverat diversarum passionum afflictionibus ingravandos. Sed lætabuntur, quando sedebunt in Iudicio judicantes duodecim tribus Israel. Contristati sunt ad tempus; lætabuntur in æternum: quia majora sunt præmia Domini; quam quæ illi à Fidelibus, munere tamen ipsius, probantur offerri. Cassiodorus hic.

*Non linquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum &c.* Pl. 124. 3. q. d. non sinet providentiâ Dei iustos à tyrannis diu vexari. Non dicit, non erit virga super iustos; sed, *non relinquet* virgam afflictionis: citò transibit. Rupertus l. 7. de gloria Filij hom. quid est, *non relinquet*? nisi, diu durare non permittet. Recordamini priorum, ac novissimorum: quicumque virgam suam, id est, potentiam suam, elevarunt super sortem iustorum; ad affligendos eos, qui ad vitam æternam prædestinati sunt; non diu durarunt. Nolite

Polyanth. Sacra, Tom. II.

timere: quia non diu durabit virga hæc; sed citò frangetur, & in ignem mittetur; ut ardeat. Sylveira in Act. 16. q. 12.

*Usque in tempus sustinebit patiens; & postea reddet iocunditatis.* Eccli. 1. 29. Hæc consideratio ad patientiam hortatur. 1. Cor. 7. 29. *tempus breve est.* Theodoretus, *prope finem.* Octavianus hic.

*Ad punctum, in modico, derelinqui te &c.* Illa. 54. 7. Septuag. ultima verba: *in iurore parvo averti faciem meam à te, & in misericordia sempiterna miserabor tui.* Qualis hic furor? parvus erat. Bæza t. 2. l. 15. c. 22.

*Et hoc usq; ad tempus,* ait Daniel 11. 24. post varias recensitas calamitates.

Ex Novo, & Patribus.

*Et præ timore clamaverunt.* Matth. 14. 26. Quid hoc? venit Dominus, ut meus tollat; & præbet illis occasionem? sic consuevit Dominus vehementiores labores, & curas, immittere; velut indices vicinæ liberationis. S. Chrysostr. hom. 51. in Matth. semper hoc Dominus facit; cum soluturus sit mala aliqua, difficilia, & terribilia inducit: quia enim non est longò tempore tentari, cum finiendi sint agones iustorum. Volens ampliùs eos lucrari, auget eorum certamina. Bæza t. 2. l. 11. c. 6. §. 5.

*Et tertiâ die resurget.* Matth. 20. 19. Non satis tristis est abscessus, ubi velocissimus est regressus, S. Chrysostr. hom. de Pass.

*Breviabitur dies illi.* Matth. 24. 22. *Erit tunc tribulatio, qualis non fuit ab initio Mundi.* v. 21. Sed Deo sit gratia! qui magnitudinem tribulationis exiguitate temporis circumscriptit. Dicit enim, quòd, propter electos, *breviabitur &c.* S. Cyrill. Jerof. Catech. 15.

*Ecce jam triduo sustinent me.* Marc. 8. 2. Noluit ultra triduum jacere in sepulchro; nè diu de absentia tristarentur Apostoli. Stella in Luc. 2.

*Unâ horâ.* Marci 14. 37. Omne tempus, quod ab initio creationis usq; ad finem Mundi decurret, nec horam respectu æternæ diei poterimus appellare. Indicibilis brevitatis est vita hominum. Quid causabimur de tribulationibus; aut angustiis; cum vita nostra sit modica hora? Nam tempus, quod in præteritum est elapsum, non vivimus; tempore verò futurò non vivimus: præsentem tempore vivimus, quod majori velocitate in futurum transvolat de præterito; quam bene curvato, & fortè, sagitta emittatur ab arcu. Quid ergo est, quòd tam brevi horâ cum Christo in suis placitis, & nobis utilibus, non possumus vigilare? atque sustinere ferendo? nisi quia defectus est in nobis amoris, atque virtutis; quò acceptam potentiam homo fecit inutilem. Sim. Cals. l. 13. c. 13.

*Post triduum invenerunt illum.* Luc. 2. 46. Quam bene iustus numerat dies, quibus ab eo Deus discessit: neque patitur Deus, plus quam triduo, in labore esse, & sine se. Stella hic.

*His autem fieri incipientibus, levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.* Luc. 21. 28.

*Ambulantes, & estis tristes.* Luc. 24. 17. ambulatis, & meretis. Non magnopere sentit peregrinus hospitis inopiam; nec arenis regionis,

LIII 2

nis,

nis, quam transit, illacrymatur. Domesticum incommodum odi: & si quem incolò, colòque, fabulosus est ager; agrè ferò, glareàque fastidio. Cæterum quã transeo, nec me beatitas alliciet, nec me angit calamitas; si aut transit, aut pertranstritur à nobis. *Non enim habemus manentem hic civitatem peregrinamur.* Hebra: 13. 14. Olivã fer. 2. Pascha.

*Modicum, & jam non videbitis me.* Joan. 16. 16. q. d. tempus Passionis meæ, & mortis, breve est, unicò triduo concludetur; & mox resurgam. Recipite ergo brevitate dolores, & gaudii longitudine, consolationem. Sylv. hic.

*Mulier, quid ploras?* Joan. 20. 13. Quorsum hæc interrogatio? an nescitis? quòd afflictus animus validius affligitur; cum cogitur meminisse, & proferre, causas dolorum? Erat jam luctus finiendus; erat lætitia in foribus: & & ideo exacerbatur dolor; nè minima lacrymula remaneat ex his, quæ possunt effundi pro Domino. Drogo Ost. l. de Sac. Pafs. equidem bene noveratis, ò piissimè Angeli! quid ploraret? & quem quæreret? quare illam iterum commemorando intus excitastis? Sed propè erat insperatè consolationis gaudium: ideo tota vis doloris, & plorationis, excurrat. Bæza, t. 2. l. 11. c. 6. §. 5.

*Et servabo te ab hora tentationis.* Apoc. 3. 10. ab hora, id est, à tempore. Tempus enim tentationis vitæ hujus, quia breve est, & velut tempestas transtiens, vocatur hora. Cornel. hic.

*Cum venerit (Antichristus) oportet illum breve tempus manere.* Apoc. 17. 10. Terret nos magnitudine adversitatis; & refovet de brevitate temporis. Rupertus l. 10. in Apoc.

Nihil longum, quod finem habet. S. Hieron. ep. 3.

Optimam est, in morbis tribulari ad horam; & persecutionem Comicam pati. Sim. Cass. l. 13. in Evang. Quid est persecutio Comica? quando hominem videmus in scena multari exidii; damnari capitis; impeti mucronibus: quàm exiguâ illius commovemur miseratione! scimus enim, hæc ludicra esse, & ficta; & umbras tantum vexationum; non veros cruciatus. Quæcunque in hac vita tolerantur; si cum iis conferantur, quæ in æterna vita torquentur; sunt comædiarum fictæ persecutiones, & solæ repræsentationes verarum calamitatum. Did. Nifs. Vit. Abr. l. 4. c. 9.

§. XIX.

*In tribulatione adest Deus, patitur cum patientibus.*

*Ex Veteri.*

*Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Exod. 3. 2. At cur Deus inter flammam, & spinas, se exhibet visendum? quin potius inter gemmas, & flores? Credo ut Moyses in periculorum incendia, & in laborum dumeta, se conjicere non dubitaret; Deò ibi sinè dubiò fruiturus. q. d. gradere nudis pedibus per spinas, ad me inter spinas commorantem accessurus. Quidquid ibi laboris tibi contigerit; scias, mihi prius contigisse. Mendoza in 1. Reg. 8. Annot. 34.

*Vidi afflictionem populi mei - & sciens do-*

*lore n ejus descendit ut liberem eum.* Ex. 3. 7. 8. Nonne de cælo, & de sede tua, Domine, eos poteris liberare ab omni malo? nonne Angelum ad eorum liberationem mittere? quid opis est, ut descendas? Gaudet Dominus, ut leviora faciat quæ Sancti patiuntur, mala; sese illis immiscere. Oleaster hic.

Antequam tentaretur Job, Deus ei nunquam locutus est: postquam autem tentatus est, venit ad eum Deus, & familiariter loquitur, quasi amicus cum amico suo. Veniant plaga, omnia poenarum genera; dum post plagas Christus adveniat. S. Hieron. in Pl. 66.

*Juxta est Dominus iis, qui tribulatione sunt corde.* Pl. 33. 19. Est eis Dominus juxta, ut medicus agro, ut consolator afflictis, ut adjutor laborantibus. Securus debet esse, juxta quem est Dominus. Et quid mirum? si Dominus est juxta suum sacrificium: quia *sacrificium est Deo Spiritus contribulatus.* Hugo Card. hic S. Bernardus l. 17. in Pl. 90. Aurum probat fornacem, & viros justos tentatio tribulationis. Ibi, ibi, cum eis es, Domine; ibi in tuo nomine congregatis medius adstas. Sicut olim Dan. 3. 92., cum tribus pueris dignatus es etiam Ethnicò apparere; ut diceret: quia *species quarti similis Filio Dei.* Quid trepidamus? quid cunctamur? quid refugimus hunc caminum? Sæviti ignis; sed Dominus nobiscum est in tribulatione.

*Cum ipso sum in tribulatione.* Psal. 90. 15. Et ego aliud interim requiram, quàm tribulationem? S. Bernardus l. 17. hic.

*Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tue: ut mecum sit, & mecum laboret.* Sap. 9. 10. Non petiit à laboribus eximi; sed in laboribus cum Deo sociari: sperans, multò sibi jucundius fore, laborare pariter cum Deo; quàm sinè Deò vacuum omnino labore in deliciis vivere. Mendoza in 1. Reg. 8. Annot. 34. Sect. 2.

*Descenditque cum illo in soveam, & in vinculis non dereliquit illum.* Sap. 10. 13. 14.

*Cum ambulaveris in igne, non combureris: noli timere: quia ego tecum sum.* Isa. 43. 2. 5. Noverat hanc Dei providentiam S. Dionysius, teste Suriò in vita: qui, cum in clibanum ignis conjiceretur, dixisse fertur: *eris hic mecum, bone JESU!*

*Filia populi mei! accingere villicio, & conspergere cinere: quia repente veniet vastator super nos.* Jer. 6. 26. Quid est, super nos? An & Deus cum populo peccante puniendus? Difficultatem cognoverunt Septuaginta: ideo translulerunt *super vos.* Sed rectè S. Hieron. hic: illud, quod nos interpretati sumus, *super nos*, Septuaginta *super vos* posuerunt: cum multò Deus misericordius dixerit: ut, quiquid super suum venturum est populum, super se quòque venire testetur. Mendoza in 1. Reg. 9. 5.

*Ecce ego video quatuor viros salutos, & ambulantes in medio ignis &c.* Dan. 3. 92. Adest amica Majestas; & patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari. S. Chrysof. hom. de trib. pueris. Quando non adfuit Filius DEI agonizantibus servis suis propter ipsum? nonne cum

cum piis Martyribus Filius Dei? & in flammis, & in cæteris agonibus, semper præsens fuit. Rupertus hic.

*Et seruiant ei humerò unò.* Soph. 3. 9. Cur non utròque? quia Deus pariter cum illis onus subit; & illis unum humerum subicien-  
tibus, ille subicit alterum: ut laborem cum illis partiat. Mendoza in 1. Reg. 8. Annot. 34. Sect. 2.

**Ex Novo.**

*Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me!* Matth. 27. 46. Ideò Christus est derelictus in pœnis, nè nos derelinqueremur in peccatis: ut ipsius derelictio sit nostra liberatio peccatorum. Ideò derelictus in pœnis suis, nè nos derelinqueremur, cum patimur in nostris. Sim. Cass. l. 13. hic.

*Venit ad eos.* Marci 6. 48. Quoties Dominus calamitates immittit, submitte unà vires; ut tolerare queas. Cum in gravi tempestate, & vitæ periculò, agerent Discipuli, circa quartam vigiliam noctis venit ad eos JESUS, ut opem eis ferret. Certum enim erat, quòd, qui coëgit Discipulos suos ascendere navim, idem eis prælo futurus esset. Did. Nils. Sabb. post Cini. §. 2.

*Suspiciens in cælum ingemuit.* Marci 7. 34. Quid mirum, gemitum edi ab eo, qui cum afflicto pariebatur? Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 7. Sect. 3. Obs. 4.

*Vident Jesum - proximum navì fieri.* Joan. 6. 19. In tribulatione Deus præcipue adest; quamvis non sentiatur, sed quasi abscondat se, aspiciens nostrum certamen. Dum ergo affligimur, impugnamur, tentamur; pensamus Deum præsentem, & nostrum consuetum consideratorem: sicque animemur viriliter militantes, & de subsidio Dei certissime confidentes: scientes, verum esse, quòd ait Psal. 90. 5. *cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum. & glorificabo eum.* Dion. Carth. hic.

*Persecutionem patimur; sed non derelinquimur.* 2. Cor. 4. 9.

## §. XX.

**Tribulationes Deus non immittit ultra vires.**

**Ex Veteri.**

*Non arabis in bove, simul & asino.* Deut. 22. 10. Quàm Deus creaturas, etiam viles, curat. Quid bovem asino ad ararum jungi? occurrit dubio Philo: quia non pollent paribus viribus, infirmiori consultitur; nè cum fortiori contendens, succumbat negotio. Si Deus tantopere curat bruta, ut nolit ea labore viribus majore onarari; durusne, & austerus, erga homines erit? Did. Nils. fer. 6. D. 1. Quadr. §. 5.

*Qui fecit ventis pondus.* Job. 28. 25. Pondus ventorum utilitas tribulationum est: quæ ita in pondere fiunt, nè supra mensuram gravent dorsa ferentium. Fidelis enim Deus, qui non patitur quemquam tentari super id, quòd possit. Sim. Cass. l. 5. c. 34.

*Proba me Domine, & tenta me: ure renes meos, & cor meum.* Pl. 25. 2. Qui timere de-

buit tentationem, petit tentationem. Non timet, nè in igne deficiat? Non, inquit; quare? quia *miseriordia tua ante oculos meos est.* Novi enim Dei bonitatem, qui parciorè manu pœnas distribuit; nec impar viribus onus cuiquam imponit. S. August. l. 254. de temp.

*Potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Pl. 79. 6.

*Pondus, & statera, iudicia Domini.* Prov. 16. 11. Sunt tribulationes: has enim iustò iudiciò ita librat DEUS; ut viribus hominibus tum naturæ, tum gratiæ, congruant; ut ferendo sint. Cornelius hic.

*Mane, Thecel, Phares.* Dan. 5. 25. *Numeravit, appendit, divisit.* q. d. Deum, nisi ex numerato, & appenso premere homines. Velloso in Judith 5. Paræn. 28.

**Ex Novo.**

*Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.* Joan. 6. 13. Ego non panis modo cophinam, & multiplicationem, admiror; sed quòd tantum, quæ duodecim sportula capere poterant, fragmenta superferunt; quòd præviderit, quantum essent consumpturi. S. Chrysost. hom. hic. Nihil amplius superesse voluit, quàm unde cuiusq; Apostoli cophinus expleretur: nè quisquam gravius oneraretur. Did. Nils. fer. 6. D. 1. Quadr. §. 5.

*Modicum, & non videbitis me.* Joan. 16. 16. Sic se Christus D. subtrahit, ut redeat iterum: nè quis prematur gravius, quàm ferre possit, meorore continuo. Velloso antè citatus.

Deus, qui totus est sapientiæ plenus, novit, quantis probationibus, tentationibusque indigeant animæ ipsi placere volentes. S. Ephrem ferm. de patientia.

## §. XXI.

**In tribulatione Deus confortat, consolatur, ruerur.**

*Murmuravit omnis multitudo filiorum Israel contra Moysen.* Num. 16. 41. *Moses, & Aaron, fugerunt ad tabernaculum sederis. Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini.* Origenes hom. 9. in Num. non legimus antè, quia obtexerat nubes tabernaculum, & apparuerat Majestas Domini, & receperit intra nubem Moysen, & Aaron; nisi nunc, cum insurrexit in eos populus, & lapidare eos voluit. Discamus ex his, quanta sit utilitas in persecutionibus Christianis, quantum gratiæ conferatur; quomodo propugnator ejus fiat Deus. Pinna Ethol. 10.

*Sustine sustentationes Dei.* Eccl. 2. 3. Lyræ, Dion. Carthuf. Hugo Card. id est, patientiam habe in tuis calamitatibus: quas cum sustines, eodem tempore, in iisdem, à Deo sustentaris; ne cadas; viresque sufficit, ut eas toleres. Oclavianus hic.

*Ego reficiam vos.* Matth. 11. 28. Non dicit, tollam laborem, seu onus vestrum; sed refocillabo vos. Non promittit Christus tollere labores, & malorum onera, in hac vita; sed reficere interiori pabulo mentis, animosque hominum venientium ad eum. Cajetanus hic.

*Dabo illi stellam matutinam.* Apoc. 2. 28. Stella matutina est Christus consolans suos in

persecutionibus, & afferens lucem proximè fecuræ prosperitatis. Sylveira hic.

## §. XXII.

## Tribulatio probat nos.

**P**alpebra ejus interrogant filios hominum.

Pf. 10. 5. Hebr. palpebra ejus dormientes scrutantur filios Adæ. Cajetanus: metaphoricus est sermo ad similitudinem hominis claudens oculos; ut experiatur, quid, se non vidente, alii faciant. Scrutatur filios Adæ per simulatam illam absentiam; illorum erga se fidem, amorem, & observantiam: qui, cum eum, etiam inter flagella, colunt, & diligunt; veros amicos se probant. Did. Nisl. D. 4. Epiph. §. 2.

Probasti cor meum, & visitasti nocte. Psal. 16. 3. Cor meum visitatione tribulationis probatum est. S. August. hic.

Producit ventos de thesauris suis. Pf. 134. 7. Non ad submergendum, sed ad probandum, vires humanas impellunt; ad probationem virtutum: ut agnoscamus, quid possimus; ne superbiamus, in nobis ipsis confidentes. Et ut fragilitate cognita, invocemus eum; qui potest per se non valentibus ferre juvamen. Sim. Cass. l. 5. c. 34.

In igne probatur aurum, & argentum. Eccli. 2. 5. Plinius de auro l. 33. c. 3. quò sapius arsit, proficit ad bonitatem. Tribulatio prodit bonos, & malos. Si quis prope littus, ubi aves sunt, lapidem jaciatur; pisces in profundum descendunt; aves sursum evolabunt, Et tamen ex eadem materia pennatorum, pinnatorumque, genus emerit. Ex una etiam massa homines omnes: si tamen tribulationum lapis incurrat; mali demergent se, sed boni sursum, velut aves concinentes Deo cum gratiarum actione confluent. Oclavianus hic.

Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Eccl. 27. 6.

Creatura Dei facta sunt in tentationem animabus hominum. Sap. 14. 11. Quomodo facta in tentationem? Explico: est parens, cui dubia filij sui erga se fides. Digreditur ab adibus, domi relinquens & filium, & lacrimam apertum: sic Deus absentiam simulat, dum creaturas suas nostro arbitrio expositas relinquit: ut de illarum recto usu nostram fidelitatem arbitretur. Did. Nisl. D. 4. Epiph. §. 2.

Finxit se longius ire. Luc. 24. 28. Non perperam fingit, qui vult hominem in virtute, aut scientia, experiri: dum non querit, aut tentat, decipere, sed incognitorum dare scientiam. Fingit sæpe mater, parvulum ad terram dejicere filium, quem portat in ulvis; ut ipse tenacius hæreat. Sim. Cass. l. 14. hic.

Probationis nostræ mentis ad Deum causâ feriuntur plerique: ut in ipsa passione, an magis Deum? an magis temporalia, diligamus? appareat: & sibi animus innotescat patiendo probatus; qui non patiendo extiterat improbat. Sim. Cass. l. 1. c. 25.

Si servi Dei nihil paterentur adversi, multi ejus servi fierent: non ob aliam causam, nisi ut pericula devitarent. Et nescio, in quo, electorum, & reprobatorum, & demonum, in moribus esset diversitas; si omnibus communis esset

amoenitas, nullaque adesset adversitas. Idem ib.

Vas vacuum probat pulsatio: virtum tentatio - Vas malum streperus sonus indicat. Broy-mard. Patientia.

## §. XXIII.

## Tribulatio justum non ledit; imò roborat.

Num. 1.

## Figura, Symbola.

**R**ubus ardens, non combustus. Ex. 3. 2. Symbolum justum in tribulationibus. Miraculum non minus, hominem mediis in tribulationibus, in amore Dei firmum consistere, & ab illius obsequio non divelli. Beseus D. 4. Pasch. Mare rubrum, securum Israëlitis, Ægyptiis ruina. Ex. 14. 22. 27.

Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Pf. 1. 3. Arborea, quæ altas radices egere, ventos exsibilant; licet in ramos, & frondes, grassentur. Sed quæ non nisi sumâ terrâ hærent, ad minimam procellam ejiciuntur, & emoriuntur. Beseus D. 4. Pasch.

Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me &c. Pf. 138. 11. Tenebræ hic significant afflictionem. Quod autem dicit, est ejusmodi: circumfessus sum à malis; & dixi mihi ipsi: superabunt me mala. Sæpe autem mala non mutata sunt in bona: imò verò, quod est majus; mala non mutata sunt in bona; sed malis manentibus magnam sensi benignitatem. Non dixit enim: nox delera est; sed nox fuit lucida, hoc est, nox manens nox: mala scilicet, & calamitates, non potuerunt me conculcare; sed fuit lux in nocte: hoc est, mei extitit defensio. S. Chrysof. hic.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. Chald. Vatabl. vertunt: rosa; quia hæc spinosa est, S. Gregor. Nyss. hom. 4. sicut lilium inter spinas nascitur, & efflorescit; sic anima Sancta inter tribulationes in virtute crescit, magisque replendet.

Sicut firmas arbores ventorum impetus irruens, & undiq; jactans, non evellit; sed & solidiores, & firmiores, his in cursibus reddit: sic & animam Sanctam, & pie viventem, tentationum incursum, & tribulationum, non supplantant; atque etiam ad majorem patientiam præparant. S. Chrysof. hom. 4. ad pop.

Rupes, & scopuli, in medio mari, fluctibus, & tempestatibus, impetiti, immobiles persistunt: ostrea verò, & alia conchyliæ, modo in littus ejiciuntur, modo in fundum demerguntur. Beseus D. 4. Pasch.

Num. 2.

## Testimonia.

## Ex Veteri, Patribus, &amp; aliis.

Annis, quibus vidimus mala. Pf. 89. 15.

En, quomodo generose animæ inflicta à Deo ærumnas extenuant! quòvis aliò corporis sensa mala si dicerent se expertos, gravius se fateantur oppressos. At cum dicunt, mala se solum vidisse; vix se testantur afflictos. Cor enim inter ærumnas premitur, auris strepitu quatitur, affligitur memoria recordatione malorum, odoratus torquetur graveolentiâ: solus oculus, solem æmulatus, ærumnas videt, nec sentit; vulnera ingruentis spectat, lætus incedit intuetur,

tur, fractionem integer aspicit; fordibus adest immaculatus. Oliva l. 12. Strom. §. annis, quibus.

*Non contristabit iustum &c.* Prov. 12. 21. Cause variae, cur iustus nullâ re contristetur, aut turberetur. *Prima:* quod res omnes hujus Mundi, quae turbationem afferre possunt, parvi aestimet; nec amet: si ei auferantur, non dolet. *Secunda:* quia refrœnat suas cupiditates, quae sunt causa perturbacionum. *Tertia:* quia pacem, & quietem, animi rebus omnibus anteponeat. *Quarta:* quia scit, se, suaq; Deo esse curâ: quare in Paterna ejus cura suaviter conquiescit. *Quinta:* quia mentem habet in Deo fixam; & cum eo ita se unit, ut unus cum eo Spiritus efficiatur, Cornelius hic.

Quaelibet tormenta, quaelibet tribulationes, quaelibet hujus saeculi adversitates, undique saeviant: illud, quod Deus in abscondito fecit formum, in nobis frangi non potest, non cedit. S. August. in Psal. 138. circa medium scimus, nos laedi posse à nemine, nisi deprehendamus in sceleribus, aut maleficiis: occidere potestis, laedere non idem. S. Justinus M. Apol. 2. pro Christianis ad Antoninum Pium.

Certus sum, qui nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. S. Bernardus f. 7. in Psal. 90.

Quod iustis exercitium virtutis est; hoc iniustus poena peccati est. Origenes hom. 16. in Gen.

## §. XXIV.

*In tribulatione non pecca, non desice.*

*Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Gen. 1. 2. Neglecto firmamento aquis incumbit. Cur mare praerulit, non terra solum, sed & caelo? adamavit aliqua in aequore, quae in homine amaret. Mare ventorum vi concutitur quidem, & fervet; sed litus non excedit, suisque se continet sinibus. Legis memor vel in furore. Imitare & tu mare; ut aequus sis. Oliva l. 9. Strom. §. Spiritus Domini.

*Job scidit vestimenta sua; sed labiis non peccavit.* Job. 1. 20. 22.

*Turbatus sum, & non sum locutus.* Psal. 76. 5. Seu adversa irruant, seu maledicta saeviant, seu tentatio rugiat fervere non dedecet, peccare non libet. Idem.

*Sicut ablactatus coram matre sua.* Pf. 130. 2. Quemadmodum puellus, qui ablatatur; qui nuper ab ubere avulsus est, nec sic quidem à matre recedit; sed flens, gemens, lugens, aegrè ferens, & se afflictans, parenti semper adhæret, nec ab ea recedit: ita ego, cum essem in afflictione, angustiis, & calamitatibus; Deo semper adhæsi. S. Chrysof. hic.

*In noctibus extollite manus vestras &c.* Pf. 133. 2. In adversitatibus, ait, quae per diem vitæ hujus obscurant, nolite deficere: sed manus vestras in opere sanctitatis extollite, S. Prosper. Aquitan. hic.

## §. XXV.

*Tribulationes quò animò ferenda.*

*Ex Veteri.*

*Propitius sit mihi Dominus, nè faciam hanc rem Domino meo Christo Domini &c.*

1. Reg. 24. 7. David, qui à Saule mille calamitatibus affectis, errans in montibus, in speluncis; ibi crudelem hostem habuit in manibus: quem si occidisset, periculis liberatus regnum hereditabat. Maluit tamen in ærumnis expectare à Deo finem; quàm, hoste perempto, festinare liberationem suam. S. Ambros. in Apolog. 1. David c. 6. debitum sibi imperium diu distulit; quod sciebat Deo auctore sibi deberi. Baeza t. 1. l. 4. §. 24.

*Quoniam ego in flagella paratus sum.* Pf. 37. 18. In flagella paratus est, & offert se Domino: ut, quae placuerint Deo flagella, sustineat. Elegisse quidem lego David flagelli genus, quod æquamiter sustineret: sed elegit, quia de tribus ei conditionibus eligendâ unius necessitas mandabatur. Ubi autem non mandatur, ad omnia paratus est Dei servulus, seu corporalem aegritudinem subeat, seu fugam à facie inimici, sive obitum filiorum. S. Ambros. hic.

*Fiat misericordia tua, ut consuletur me.* Pf. 118. 76. Inter ærumnas multiplices, & saeva certamina tormentorû, consolatricem rerum istarum misericordiam petit; ut adversitates saeculæ ferre possit. Non enim auferri sibi talia postulavit; sed in eis expetit consolari. Consolatio est enim; quando miseriarum patientiam donat, tormenta saeva temperat, & afflicti animi mœrores beatitudinos promissione confortat. Cassiodorus hic. Alius humiliatus ærumnis posceret, ut circa eum tentamenta desinerent; & sedare Dominus adversa dignaretur. Ille autem, tanquam athleta fortis, & patiens, quia exerceri, etangi, animam suam tribulationibus nôset; non tristitia dimovere desiderat; sed magis in tempore laboris sui, dari sibi verbum consolationis exposcit: ut possit forti, quae ingruunt, mente tolerare. S. Ambr. hic. Octon. 10.

*Deprime cor tuum, & sustine.* Eccl. 2. 2. Cum saeviant æstus tribulationum; cor nostrum humiliare, & elatos spiritus submittere, oportet. Octavianus hic.

## Ex Novo.

*Intrate per angustam portam.* Matth. 7. 13. Quomodo igitur, dixerit aliquis, dictum est illud: *jugum meum suave est, & onus meum leve?* Matth. 11. 30. nam si angusta est via, & aspera; quomodo rursus eam levem, facilemq; vocat? Illud quidem dictum est propter naturam afflictionum; hoc verò propter spontaneam voluntatem advenientium. Nam fieri potest; ut, quod naturâ est intolerabile sit leve; si eum alacritate animi suscipiamus. S. Chrysof. hom. 3. de Lazaro.

*Puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Matth. 9. 6. Puer, id est, *servus*, teste Lucâ 7. 2. Servi hominum male torquentur; Servi Dei bene. Torqueri bene est pati, quod ferre, quidquid ærumnarum Deus inferat. Male torqueri est, cum indignatione pati. Bene torqueri est torqueri ad coronam; male, ad poenam. Pinna in Eccl. Ethol. 29.

*Quid dicam? Pater.* Joan. 12. 27. S. Chrysof. hom. 66. in Joan. quasi diceret: non habeo, quid dicam, ereptionem quaerens: *propterea enim veni in horam hanc.* Incarna-

ta DEI sapientia non habet, quid dicat, ereptionem, querens: & garrula humana fatuitas quantas adfert excusationes? Sylveira addit. hic.

*Bajulans sibi crucem exiit.* Joan. 19. 17. Animosè, & intrepidè, pericula oblata, licet gravissima, amplexanda sunt. Ecce qui ad calicis poculum trepidabat, modò crucem dolorosissimam, & ignominiosissimam, sine trepidatione bajulat. S. Cæsarius dial. 3. deprecabatur poculum, nos instruens: in pericula non infiliendum esse; sed adventantia fortiter, ac viriliter, esse suscipienda. Ideo crucem, per meditationem aestimata, certò consiliò deprecatur quidem: exhibitam verò super humeros, tanquam victor tollens, ibat sponte in ea clavis suffigendus. Non sic vani homines; sed ut ait Pl. 77. 9. *Filij Ephrem intendentes, & mittentes, arcum, conversi sunt in die belli.* Domi crucem, cædèsque, meditantur; in arana verò damà fugaciores sunt, Bæza t. 1. l. 4. c. 4. §. 1.

*Aperta sunt omnia ostia.* Act. 16. 26. Cur portis carceris apertis, Paulus, & Silas, non egrediuntur? S. Chrysol. hom. 8. in ep. ad Eph. quemadmodum carcerem Paulus non egrediebatur, etiamsi potuisset; donec, qui illum conjecerat, evocaret, & educeretur; ita tres pueri caminum egressi non sunt; donec, qui conjecerat, egredi jussisset. Quid hic dicemus? nè videlicet in adversis liberari festinemus. Expecta longanimitis; Deus dabit finem. Sylveira hic q. 12.

#### Ex Patribus, & aliis.

Grata ignominia Crucis ei, qui Crucifixo ingratus non est. S. Bernardus l. 25. in Cant.

Quemadmodum mens aliqua, licet quidem semper verberetur, non tamen dat tergum; neque concavitatis formam in se recipit; sed eadem semper manet, sibi que similis: sic & qui vult verum se gerere Christianum, inter diversas tribulationes, atque tentationes; si ve extrinsecus ab hominibus illatas contumelias, persecutiones, damna, aut aliqua ejusmodi; si ve extrinsecus à spiritibus malignis inductas angustias diversissimas, unus est idem, maneat oportet; fortiter quæcunq; obvenientia perferens. S. Ephrem de fide. Sit mens nostra non quasi vitrum, quod ad primum perfectionis ictum impatiens frangitur; sed pretiosi potius vena metalli, quæ sub mallei contusione purgatur. B. Petrus Dam. l. 4. ep. 17.

Cur tibi molestæ sunt injuriæ, & adversitates quæcunq; nisi quia illas averfaris? Bellum iis infers tanquam hostibus; quid mirum, si te infestant? Quod si eas amares, non essent molestæ; sed potius jucundæ. Stella de contemptu &c. p. c. 2.

Si persecutio tibi affert molestiam, non conqueraris de persequente; sed potius de teipso. Quod si aliquid tibi videtur esse durum; contra teipsum insurge, & vindica te de inimicis tuis internis, qui te affligunt; nec conqueraris externis; cum te non nisi volentem, lædere non possint. Sicut tinea consumit pannum, ex quo nata est; & vermis rodit lignum, ex quo prodiit: sic hæc onera, quæ cor tuum pre-

munt, oriuntur ex propria tua concupiscentia. Idem ibidem.

Omnes creature sunt homini, qualis homo erga seipsum est. Bona anima non potest offendi rebus exterioribus; nec malus iis juvari. Idem ibidem c. 43.

Calamitatis ventus neminem non incurfat: resistentes quercus frangit; submittentem se arundines non lædit. Drexelius Gymn. pat. p. 1. c. 1.

#### §. XXXVI.

#### Tribulationis sanctis charæ, optatæ, &c. Ex Veteri.

*A Doravit Israël Deum conversus ad lectuli caput.* Gen. 47. 31. Septuag. *adoravit Israël summitatem virgæ ejus.* Quid virgæ cum lectuli capite? in capite lectuli cervicali ad capitis requiem apponitur. Virgâ labores, tribulationesque, in Scriptura signantur. Virgâ percussus justus, idem est, ac beatè quiescere. S. Hilarius Can. 11. in Matth. nunquam hilarius Sancti requiescunt, quam dum laboribus fatigantur. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 8. lect. 2. obf. 3.

*Servate mihi puerum Absolon.* 2. Reg. 18. 5. Quæ tunc, protulit; cum perduellis vota, & arma, in regem tonarent, sævirentq; David nunquam teneriori animi, orisq; sensu, profecutus est Absolonem; quam cum ab eo sede suâ pelleretur, E contra supplicem, avidumq; paterni amplexus, rejectit. 2. Reg. 14. 24. *revertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* Sciebat enim, expetenti Domini sui faciem, armatum plus filium prodesse posse, quam blandum. Oliva fer. 4. D. Pafs.

*Cibi mei sunt.* Job. 6. 7. Justi enim gloriantur in tribulationibus: scientes, quoniam tribulatio patientiam operatur. Rom. 5. 3. Hugo Card. hic.

*Hæc mihi sit consolatio: ut affligens me dolore, non parcat; nec contradicam sermonibus Sancti.* ibid. v. 10. *Cum audierit* (equus generosus) *buccinam, dicit vah!* Job. 39. 25. *Vah* est interjectio animi gestantis. Guilielmus Par. lib. de morib. tr. de spe: sicut gaudent equi, cum signum imminentis consuetudinis audierint: sic & Dei amici hujusmodi gaudiò gaudent; cum bellum tribulationis consurgere cognoverint. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 1. Obf. 2.

*Venerunt ad eum omnes fratres sui, & universæ soror es sue, & cuncti, qui norerant eum prius - consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum.* Job. 42. 11. Quod non fecerunt, quando in mediis angustis positus magis eorum solatio egebat. Jam mala præterierant; cur ergo eum solantur? nam ubi nihil ærumnarum sit, non videtur esse locus consolationis, & compassionis, inquit Pinceda hic. Respondeo: consolati sunt eum, non de alio, quam quòd jam pati cessasset. Nam viro justo crux summa, sine cruce esse. Did. Niff. D. 20. Pent. §. 3.

*Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Pl. 22. 4. Ipsa me non afflixerunt; sed potius consolata sunt: quia in his intelligo, te esse memorem me? S. Laur. Just. hic.

Quanti

*Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine!* Pl. 30. 20. Dulcis est, cum corrigit dulcis, dum percutit; dulcis, cum credentibus aterna premia compromittit. Cassiodorus hic.

*Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus.* Plal. 101. 15. Per lapides, qui duri sunt, intelligi possunt tribulationes; quæ duræ, & asperæ, sunt: tamen placent servis Domini. Unde cantat Ecclesia de S. Stephano: *lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Hugo Card. hic.

*Mihi nimis honorati sunt amici tui Deus.* Pl. 138. 17. Hebr. *mibi valde pretiosæ sunt afflictiones tuae Deus.* Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi. Cant. 1. 12. Mirari scis quis possit patiendi, non cupiditatem solum in sponsa; sed etiam pretium. Non modò myrrham complectitur, sed etiam veneratur. Myrrham non solum non horret; sed quasi vicariam sponsam; imò ipsam putat esse dilectum. David quidem clamabat: *quoniam propter te mortificamur tota die.* Pl. 43. 22. Et Paulus: *ego stigmata D. Jesu in corpore meo porto.* Gal. 6. 17. Ille propter Deum; hic in similitudinem Domini, confosum se putat. Sponsa verò eò myrrham prorexit; ut non DEI putet esse, seu imaginem, seu simulacrum; sed DEUM. Oliva l. 3. Strom. §. Fasciculus myrrhae.

*Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore languens.* Cant. 2. 5. Chald., & Hebr. *fulcite me ignibus plurimis.* Non expetit auratam spondam, nec plumei stragulum; sed pyras, & rogos, stridentium flammarum, pro lectisterio. Inter utulalali signa, velut inter flores, recumbit. Unde Symmachus legit: *requiescere me fecisti in flore.* S. Chrysol. l. 13. de S. Laur. tunc oblata est torrenda, & assanda, martyrio nobilis illa Laurentii craticula: astrictus est ferro; sed ille craticulam supplicii lectum quæris putabat. Theodoretus in Dan. 3. 24. tanta intus pietatis præcones serenitate Deum colentes fruebantur, ut per ignitos carbones, quasi per quasdam rotas, incederent. Arcones in Isa. 1. 25. Disc. 3. *Fulcite me floribus.* Origenes ait, in Græco habetur: *confirmate me in myrrhis.*

*Et de portis tribulationum, quæ circumdederunt me.* Eccl. 5. 1. 5. Quis captivum januis circumdedit? & non magis murò vallavit? Cui vel januæ desint, vel pro foribus foramen sit? Quid? nisi spes evadendi ex portis affulgeat; sed tribulationum magis metuendæ sunt portæ, quàm muri. Neq; enim difficilis constantia est, quando eam necessitas frænât. At si elabendi occasio se offerat, durius cum tormentis confligimus. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Eccl. 31. 10. elogium est fortitudinis non vulgaris. Inte Martyres uberius laudamus; quòd facilius eos tormenta declinare potuisse, & noluisse, cognoscimus. Davidi aperta porta est evadendi manus Saulis. 1. Reg. 24. 4. quando in spelunca deprehensum inermem, & solum, potuit occidere. At tantâ opportunitate trucidandi hostis minime usum, quis non stupet? Poruit Christus de cruce descendere; sed non minoris virtutis fuit, prefluisse in cruce, *Polyanth. Sacra, Tom. II.*

factâ sibi potestate descendendi, quàm crucem subiisse. Oliva l. 12. Strom. §. Et de portis tribulationum.

*Volavit ad me unus de Seraphim; & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari; & retigit os meum.* Is. 6. 6. 7. Stupes; ex regali effluentiâ copiarum cœlestium, ex regis Christi regnantis gazis; nihil aliud ad Isaiam delatum de superis, nisi calculum, seu carbonem; in quo Isaias figeret oscula. S. Hieron. ep. 142. ad Damasum: forcipem, de qua altaris carbo comprehensus est, propriam Isaiæ asseruit passionem, quâ sub Manasse rege interfectus est. Vates hæc omnia osculatur, tanquam quid cœlesti. Ludovicus de Alcazar expendit hic, cur Hebræus vocem *prunam*? Septuag. verò calculum? *in manus ejus carbunculus.* Ait, in prunis indicari Apostolicorum virorum persecutiones: quæ, licet aspectu terreat, & videantur, ut carbones, urere; justî tamen reputant pro lapidibus pretiosis. Arcones in Is. 2. 4. Disc. 4.

#### Ex Novo.

*Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, & consolationem, scripturarum, spem habeamus. Deus autem patientiæ, & solatii, det vobis id ipsum sapere &c.* Rom. 15. 4. 5.

*Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* 2. Cor. 1. 5. *Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis: repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. Cor. 7. 4.

*Ascendens Christus in altum.* Ephel. 48. In altum, id est, in cœlum, inquit Chrysostronus. Solus B. Dorotheus doct. 22. ait: ascendens in crucem voluptate suâ; & peccatum, ruinæ nostræ causam, cruci afficiens, captivam duxit captivitatem. Altum hoc Chrysostrono cœlum est, Dorotheo crux. Sed quid istud? cum à cœlo crux non minus distet, quàm terra? sic fortè loquatur, qui nescit, quid sit pro Deo pati: nam qui novit, quid sit boni in cruce; illi crux par cœlo est. *Exultabunt Sancti in gloria, latrabitur in cubilibus suis.* Pl. 149. 5. Euthymius: exultabunt Sancti in futura gloria. S. Hieronymus: exultabunt Sancti in gloria, in cruce. Sed quid gloriæ cœlorum & crucis? si exultabunt Sancti in gloria cœlorum, quomodo in gloria crucis? Respondeo: iusto gloria, & crux; crux, & gloria; idem sunt. Tantam nempe ex passione coepit voluptatem: ut perinde habeat; sive in cœlum, sive in crucem, ire jubeatur. Did. Niss. D. 20. Pent. §. 4.

#### Exempla historica.

Venerabilis P. F. Joannes à Cruce, tria solebat à Deo petere. Primum, labores. Secundum, nò præsul existens è vita migraret. Tertium, ut abjectus, & vilipensus viveret, ac moreretur. Cum ante imaginem Christi D. crucem bajulantis orationi vacaret; hæc vocem audit; Joannes, quid vis pro laboribus? & ille: Domine! pati, & contemni, pro te. Dicere solebat: quid scit? qui pro Christo pati nescit? In compendio vitæ §. 9.

M m m m

B. G. 6

B. Godefridus Cappenberg. Præmonstr. in tribulationibus dicebat: opto, ut sicut scopa usu detrita novissime flammis injicitur, sic corpus meum, Christi exhaustum servitio, tribulationis demum igne consummetur. Boll. 13. Jan.

§. XXVII.

*Tribulationes apprehende bonâ ansâ.*

*Ex Veteri.*

*E*grediente autem animâ pro dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filij sui Benoni, id est, filius doloris mei. Pater verò appellavit eum Benjamin, id est, filius dextera. Gen. 35. 18. Non respexit dolorem matris; sed robur, felicitatem, dextera vocabulo significata. Sic quando res quadam habet, quò exhilarare possit, & quò contristare; spectanda est; quò solari, non quò tristere, potest. Did. Nifs. p. 2. l. 9. Polit. Cœl. cap. 7.

*Recordatusque somniorum, quæ aliquando viderat.* Gen. 42. 9. Non dicit, eum memorem venditionis, aut mortis sibi intentatæ, sed somniorum. Oleaster.

*Ecce hasta regis, transeat unus de pueris regis, & tollat eam.* 1. Reg. 26. 22. Cur hastam solam, non etiam Scyphum, restituit? Quid accidit David, dum arreptitium regem Plâterio mitigaret? *Nisus est configere David lanceâ in pariete.* 1. Reg. 19. 10. Si bonus David lanceam penes se retinuisset, poterat tantæ malevolentia eum perpetuo admonere, & ad vindictam stimulare. Scyphum retinet; qui refrigerium adferre potest animo inflammato. Did. Nifs. D. 3. Pent.

*Servate mihi puerum Absolon.* 2. Reg. 18. §. Confectio prælii, quarit: *estne pax puero Absolon?* At indicatâ ejus morte, *fili mi Absolon! Absolon fili mi?* &c. v. 33. Cùm viveret, aut vivere putaretur Absolon, puer identidem vocabatur; cùm verò in vivis esse desit, *Filius* ter, quaterq; appellatur. S. Ambros. in Psal. 118. §. quâ ratione antè puerum dixit, postea filium nominavit? Cur non in utroque, aut puerum dixit, aut filium? Respondet ad sensum Ambrosii: puerum vocavit, & cogitavit Absolonem; dum perduellis sceleri vacabat, aut vacare putabatur: ut & ipse patrens levius ferret, quò ab impotente sibi puero impetebatur: & belli duces ab illo violentas manus abstinerent; quò nullam sibi ex nece pueri parare gloriam viri possent. Si Filium, si parricidam, tunc cogitasset; quomodo non irasci tali filio pater potuisset? quomodo mandare suis tribunis; ut fervarent vivum filium, qui vivere patrem nolebat. Ambros. non ergo pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis: ideòq; vir justus, quod religionis fuit, tacuit, quod infirmitatis, asperxit. Ubi verò est mortuus, apud pium patrem personæ crimen defecit, naturæ nomen remansit. Did. Nifs. D. 3. Pent. §. 3.

*Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Job. 1. 21.

Pro servanda patientia illud tempus ad memoriam reduxit, quò necdum ista, quæ perdidit, habebat. Ut, dum intuetur, quòd illa aliquando non habuit, dolorem temperet, quòd amisit. Magna enim consolatio est, in rerum amissione illa tempora in memoriam reducere, quibus nos contigit res, quas perdidimus, non habuisse. S. Gregor. mor. l. 2. c. 12.

*Foderunt manus meas, & pedes meos.* Psal. 21. 17. Non dicit, transfixerunt, sed *foderunt*: ut notetur fructus, qui inde secutus est, scilicet æterna beatitudo. Hugo Card. hic.

*Ex Novo, Patribus & aliis.*

*Joannes - in vinculis &c.* Matth. 11. 2. Quod Herodes Joanni faciebat pro pœna, ille suscipiebat pro beneficio; & irâ ejus, quasi Dei misericordiâ, fruebatur. Auth. Imp. hom. 27. hic. Joannes, non loci, in quo versabatur, vilitatem; sed occasionem bene merendi, quæ se ibi offerebat, attendebat; & vinculorum non probra, sed lucra, spectabat. Did. Nifs. Pol. Cœl. p. 1. l. 4. c. 8.

*Sicut fuit Jonas &c.* Matth. 12. 40. Cur potius suâ sepulturæ, quàm mortis, Dominus dat signum? In morte multis injuriis, opprobriis, & tormentis, affectus; in sepulchro honoratus quievit. *Erit sepulchrum ejus gloriosum.* Il. 11. 10. De morte, & doloribus, videtur oblivisci; & ansam gloriæ apprehendit. Sylveira hic q. 12.

*Factum est autem, cùm complerentur dies assumptionis ejus; & ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem.* Luc. 9. 51. hoc est cùm instabat tempus, quò, postquam sustinuisset salutarem passionem pro nobis, oportebat assumi in cœlum, & considere Patri. Theophylactus. Non memorat dolores, sed gloriam. Sylveira in Matth. 12. q. 12.

Auferamus carceris nomen; secessum vochemus. Etsi corpus includitur, etsi caro detinetur; omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu: & non stadia opaca proponens tibi; sed illam viam, quæ ad Deum ducit. Quoties eam spiritu deambulaveris, toties in carcere non eris. Tertull. l. ad. MM. c. 2.

Talis justorum mos est; ut quando aliquid pro Deo ferunt; non res ipsas, quæ sunt, spectent; sed causam secum expendentes, facile omnia ferant. Quandoquidem & Paulus gentium Doctor vincula, ad tribunalia abductiones, quotidiana pericula; multas illas, & intolerabiles, afflictiones, *leves* vocabat: non quòd naturâ tales essent; sed quia causa, propter quam siebant; talem ei sententiam ingenerabat. S. Chrylost. hom. 25. in Gen.

Unaquæque res duas habet ansas; unam tolerabilem, alteram intolerabilem. Si frater injuriam fecerit, non eâ prehende, quâ facit injuriam: ea enim ejus ansâ est intolerabilis. Sed illinc potius: esse fratrem, esse unâ educatum. Sic prehendens eam, quâ tolerabilis. Epictetus c. 65, Enchiridion.

§. XXVIII.

## §. XXVIII.

*In tribulatione fac ex necessitate virtutem.*

**C**Ras tu, & filii tui, mecum eritis. 1. Reg. 28. 19. Querit Abulensis: cur Saul filios suos in conflictum eduxerit, in quo illos occuburos prænoverat? Respondet q. 3. in c. ult. hujus libri: quia putavit, quod necesse erat; quod tam ipse, quam filii ejus, morerentur: ideo nullò modò poterant evadere hanc mortem. Melius ergo fuit, quod viriliter in bello morerentur, pugnando pro Israël; quam ignominiosè fugiendo desideratam vitam conservare non possent.

*Fuge Dilecte mi, & assimulare caprea &c.* Cant. 8. 14. Ardebat desiderio sponsi sponsa dicens: *quis mihi det te fratrem meum &c.* Votis potita quid dicit? *fuge.* Si sponsum adeò percipiebat, cur celerem ejus abitum optat? V. Beda: quod ait *fuge Dilecte mi*, non optando loquitur (quis enim eum, quem diligit, à sua fugare præsentia velit) sed ejus potius voluntate fervendo: memor videlicet consuetudinis ipsius, quâ se, in medio sæpe sermone relinquens, transferret, ac declinaret: memor etiam suæ consuetudinis; quia illum in hujus temporis, vel peregrinationis, loco continuè videre non possit. Nam si necesse fuit ab illo nunquam deseri; prudentia fuit, hoc sponte petere, quod necessariò toleratura erat. Did. Niss. Dom. infra Oct. Asc. §. 4.

*Humiliamini sub potenti manu Dei.* 1. Petri 5. 6. q. d. Si manum ejus effugere, impossibile; si tanto Domino subdi, necesse est: humiliamini volentes, & de necessitate virtutem facite. Idem ibidem.

Hoc totius Christianitatis est robur, facere de necessitate virtutem; & pœnalitates, & verbera, contumelias, & opprobria, vulnera, sic & mortem, in arma conflare virtutum; & de his scalam facere caelos pertingentem. Sim. Cass. l. 8. c. 38.

## §. XXIX.

*Varia alia motiva.*

**I**N virga indignationis ejus. Thren. 3. 1. Aliam quidem puto esse virgam furoris Dei; aliam virgam directionis, & virgam regni ejus; aliam verò indignationis: quoniam alia est ferrea, inflexibilis, quâ conteruntur impii, tanquam vasa testea in ira furoris Dei. Alia, quâ in aequitate Sancti reguntur; donec perveniunt ad bravium supernæ vocationis. Alia illa, de qua ad Jerusalem Dominus: *in indignatione non percussit.* Isa. 60. 10. *& in reconciliatione mea misertus sum tui.* Sub hac enim virga ad hoc percussit Deus, ut miseretur; ad hoc vulnerat, ut sanet. S. Paschasius hic. Adversitas, quæ à Domino est, plena justitiæ, plena aequitatis, plena misericordiæ est. Idem ibid.

*Domine, hic autem quid?* Joan. 21. 21. Hunc ita Domino dilectum cum respexisset Petrus, statim interrogavit, quis vitæ illius terminus immineret? Quia communiter hominibus insitum esse videtur; ut optent, si quid periculi

*Polyant. Sacr. Tom. II.*

subituri sunt; non se solos, sed cæteros etiam, aut videre similia pati, aut saltem audire, perpeffos fuisse; vel omnino idem passuros. S. Cyrill. Alex. l. 13. in Joan. David, vicinus morti, ait filio suo Salomoni: *ego viam ingredior universæ terræ.* 3. Reg. 2. 2. id est, ad Patres meos abeo; & viam omnibus, qui nunc sunt, quive post me erunt, communem viam ingredior. Cur communem dicit? ut mortem suam sibi, & filio, suavem faciat. Sylveira in Apoc. 7. q. 16.

*Particeps in tribulatione.* Apoc. 1. 9. Hoc apponit: quia & ipse sevitiæ Domitiani expertus, & in Pathmos relegatus. Et hoc dicit ad multam Fidelium consolationem: nam videntes communicationem in laboribus cum Joanne dilecto; inde singulare in se divini amoris discent argumentum, multa ob fidem pati Sylveira hic.

Quod si tantus ostenditur, & probatur, Christianorum Martyrum populus; necro difficile, vel arduum, putet, se Martyrem fieri; quando videt Martyrum populum non posse numerari. S. Cyprianus exhort. ad MM. c. 1.

Si leoni taurus objicitur discerpendus, ut princeps videns lætetur: & tu discerpereris, ut Deus videns lætaretur: satis, superque esset, ut hoc patienter tolerares. Oforius in die SS. Innocent.

Cum te videris tribulari; si perquiras, multas invenies causas. Et si alia non esset, præter voluntatem divinam, & gloriam ejus; hæc satis est. An non leoni objicitur canis, vel taurus, dilaniandus, ut principi spectaculum præbeat? Idem fer. 4. D. 4. Quadr.

Quantumlibet nobis anxietatum pateras vitæ præsentis propinet afflictio; parva toleramus; si recordamur, quid biberit ad patibulum, qui invitat ad cælum, Sidonius Apollin. l. 9. ep. 4.

Refertur de anima cujusdam Sancti; qui multas in hac vita ærumnas sustinuerat: quòd, dum post mortem amico appareret, ille; quæreret; num tantis doloribus condigna illi fuerint gaudia? responderit: Ipsa prima Cœlitum salutatio, quâ me cælum ingredientem complexi sunt; ac præsertim primum Christi osculum, quò me deosculatus est ita mihi suave accidit; ut mox omnium laborum me oblivisci fecerit; omniumque dolorum memoriam mihi abstergerit, juxta illud: *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Apoc. 21. 4. Cornelius in Cant. 1. 1.

Equum indomitum etiam peritissimus equitandi timeret conscendere: at, postquam domitus est, pueri ipsi in eo equitare audent: Crux, antequam Christus eam conscenderet, equus erat indomitus: quotquot eam conscendebant, prosternebat, eorum honorem, & vitam adimens. At postquam eam animosus conscendit, ita domita, ac mansueta, remansit; ut pueri, & senes, intrepidi eam ascenderint. Diez conc. 2. in festo. S. Andrea.

## §. XXX.

*In tribulatione solatia, & refugia.*

**P**ostis genibus orabat. Luc. 22. 41. Orabat, completurus opus redemptionis nostræ.

M m m m 2

Docuit

Docuit nos, frustra optari vincula, & crucem; nisi oratione armemur. Præsumptio est, non amor; carnificibus occurrere sine oratione. *Paratus Petrus & in carcerem, & in mortem, ire cum JESU.* Luc. 22. 33. dum orationem negligit, Magilstrum deserit. Dormivit, cum orandum erat; negavit, cum palma delata est moriendi cum Christo. Vicit Moyfes Amalech. Ex. 17. 11.; sed oravit: timuit ancillam Petrus; sed non oravit. Oliva t. 2. Strom. §. Positis genibus.

Nullum majus, nullum melius, negotium

est in tribulatione; quam recedere ab eo strepitu, qui foris est; & ire in interiora mentis secretiora: Ibi Deum invocare, ubi nemo videt, gementem, & subvenientem. S. August. in Psal. 34.

Lenit dolores patientis Christiani, assiduæ recordatio in cruce pendentis. Petrus Cell. cap. 22.

Qui crucem post Christum ferre amant; crucem ipsam sine crucis sensu ferunt: qui verò eam fugiunt; hi soli crucis pondere onerantur. Hieronymus Clarius. Orat. 9.

## TITULUS XII. SSS. TRINITAS.

§. I.

*Figuræ, Symbola, Testimonia.  
Ex Veteri.*

**F**aciamus hominem ad imaginem. Gen. 1. 26. Non allocutus Angelum: quia cum Deo ad creationem non concurrerunt. Homo non factus ad similitudinem Angeli. Ut tamen unum Deum doceret, dixit, *ad imaginem*, non ad imagines. Paoletti D. 6. Pasch. Igitur in opere mundanæ fabricæ, cunctorumque creatione, omnipotens, omnia sciens, omnibus commendatur benigna Trinitas. Bonitas quippe, vel charitas, Dei Spiritus S. est. Qui, cum Patrem, ut omnia per Verbum operaretur, excitaverit; tum verò in plasmatione hominis ita studiosum reddidit; ut nihil eorum subtraheret, quæ conferre potuit. Quid enim taliter condito homini, præter naturalem divinitatem, defuit? - Igitur in plasmatione hominis benevolentia Dei, quæ est Spiritus S., maximè operam suam exhibuit; cum ei (utpote creatus) naturaliter non poterat esse Deus, gratia sui similitudinem Dei contulit. Rupertus l. 11. c. 17.

*Veneruntque duo Angeli.* Gen. 19. 1. Duo scilicet, qui ab Abrahamo recesserant, tertio cum eo remanente. Angelus unus è tribus, representans Deum Patrem, manserat cum Abrahamo: ut ejus domum benediceret; eumque patrem efficeret ad generandum Isaac. Unde hic Angelus videtur fuisse medius, & primarius inter tres: putà Michaël; qui duos socios Gabrielem, & Raphaëlem, misit ad excitandam Sodomam; *Gabriel* enim, juxta etymon suum, est fortitudo Dei; puta fortis executor divinæ justitiæ: hicque representat secundam in Trinitate Personam. *Raphaël* verò videtur esse Angelus præfes castitatis, summusque osor libidinis. Cornelius hic.

In Arca testamenti tria continebantur: virga Aaron, tabulæ Legis, manna solitudinis. In virga designatur potentia Patris, in tabulis sapientia Filij, in manna bonitas Spiritus Sancti. Marchantius D. Trinitatis.

*Sic benedices filiis Israël - benedicat tibi Dominus, & custodiat te, Ostendat Domi-*

*nus faciem suam tibi, & miseretur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Num. 6. 23. 24. &c. Ob tres Personas, quarum qualibet est Deus, *Dominus* ter repetitur. Sed, ut monstrat, unum tantum esse Deum, subdit: *invocabuntque nomen meum super filios Israël.* v. 27. Non dicit, nomina nostra. Paoletti D. 6. Pasch.

*Audi Israël: Dominus DEUS noster, Dominus unus est.* Deut. 6. 4. Ponuntur hic tria vocabula: scilicet *Domnus*, quod est nomen potentia, quæ Patri attribuitur: *DEUS* nomen sapientia, quæ Filio appropriatur: *Tuus*, nomen bonitatis, quæ Spiritui S. attribuitur. S. Vinc. Ferr. l. de S. Jacobo Apost.

*Benedicat* Pl. 66. 8. id est, multiplicet nos Deus Pater. *Benedicat nos Deus Filius! benedicat nos Deus Spiritus S.;* & sic multiplicet, ut tandem mereant cum omnes fines terræ; ut tota terra creatorem colat, non creaturam. Remigius Antisiod. hic.

*Funiculus triplex.* Ecclæ. 4. 12. est SSS. Trinitas; quæ est fons omnis societatis, amicitia, & concordia. S. Paulinus ep. 4. ad Severum.

*Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. 1. Symbolicè notantur hic tres SSS. Trinitatis Personæ: per *osculetur* Pater: per *oris* Filius: hic enim est os, & Verbum Patris: per *osculo* Spiritus Sanctus: hic enim est nexus, amor, & quasi osculum; quò se osculantur Pater, & Filius. Ita S. Bernardus l. 7. apud Cornelium hic.

*Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti.* Sap. 11. 21. Secundum hanc ordinationem omnis actio nostra debet esse mensurata, numerata & ponderata: hoc est, in virtute Patris, cui mensura: in virtute Filij, cui numerus: in virtute Spiritus S., cui pondus, adscribitur. S. Albertus M. par. animæ c. 8.

*Et dixi AAA.* Jerem. 1. 6. Viegas in Apoc. 9. Sect. 5. n. 4. SSS. Trinitatis mysterium hic innui putat. Ter enim, inquit, dixit A., quæ balbutientis, & infantis, adhuc vox est, propter tres Personas divinas: ut indicaret; se comparatione ejus mysterij infantem esse, & nescientem adhuc articulatè loqui. Loquebatur enim

enim cum eo SSS. Trinitas: Pater dicens, *novi te: Filius, sanctificavi te: Spiritus S., Prophetam dedi te.*

### Ex Novo.

*Scriptum est.* Matth. 4. 7. Ter in hac concertatione Evangelium refert, Christum dixisse: *Scriptum est.* Tanquam, quidquid sit in divina Scriptura, sit à Trinitate disserum. Sim. Cass. l. 9. t. 6.

*Recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob.* Matth. 8. 11. In Abraham Pater, in Isaac Filius, in Jacob Spiritus S. ostenditur. Sim. Cass. l. 5. c. 12.

*Designavit Dominus & alios Septuaginta duos.* Luc. 10. 1. S. August. in q. q. Evang. Beda, Hugo: per hunc numerum ostendit Dominus; quod per hos, & eorum sequaces, erat annuntiaturus Mundo fidem Trinitatis. Unà die per viginti quatuor horas à sole totus illustratur orbis: Sol ergo, per triduanum ambitum suum, Septuaginta duas horas facit. Christus, qui se diem, ac lucem, appellat, per hunc prædicantium numerum significat fidem, & lucem Trinitatis toti orbi annuntiare, ac per Mundum maxime illuminare. Sylveira hic.

*Et incipiens à Moysè, & omnibus Prophetis &c.* Luc. 24. 27. Lex te Patrem Legislatorem representat: Evangelium te Filium incarnatum: Prophetia te Spiritum Sanctum; qui locutus es per Prophetas Patri adscribitur æternitas, Filio veritas, Spiritu S. charitas. Patri providentia, Filio Sapia, Spiritui S. Ordo, & unio. Patri creatio, Filio gubernatio, Spiritui S. conservatio. Patri prædestinatio, Filio redemptio, Spiritui S. sanctificatio. Patri via purgativa, Filio illuminativa, Spiritui S. unitiva. Patri præterita, Filio præsentia, Spiritui S. futura. Patri principium, Filio medium, Spiritui S. finis, & terminus. Sicut memoria parit intellectionem, intellectio amorem. Et sicut fides parit spem, spes charitatem: ita Pater generat Filium, Filius cum Patre spirat Spiritum Sanctum. Cornelius in dedic. ad SSS. Trinit. Comment. in 4. Proph. Majores.

*Requiem non habebant &c.* Apoc. 4. 8. Triflagion non solum continet mysterium SSS. Trinitatis; sed totum Apostolorum symbolum, totamque Evangelii doctrinam. Cum enim Seraphini Patri acclamant *Sanctus*, significat, sanctitatem Patris ostendi in creatione, Filio in Redemptione, Spiritui S. in sanctificatione. Cornelius hic.

### Ex Patribus, & aliis.

Cum novem sint ordines Angelorum; quare, tribus exclusis, tantum sex in Præfatione ponuntur? Dionysius tres esse tradit Ordines Angelorum; trinos in singulis ponens: ut similitudo Trinitatis eis insinuetur impressa. Sunt enim tres Ordines superiores, Seraphin, Cherubin, Throni. Medii, Dominationes, Principatus, Potestates. Inferiores, Virtutes, Archangeli, Angeli. De singulis autem hic ordo medius subtrahitur; de superioribus Cherubim, de mediis Principatus, de inferioribus

autem Archangeli: Quia ad comparationem Trinitatis æternæ (cujus majestas hic præcipue commendatur) omnis alia Trinitas diminuta reperitur, & imperfecta. Innocentius III. P. de sac. alt. myst. l. 2. c. 61.

Quoddam in creatæ Trinitatis vestigium re- lucet in omnibus creaturis, tam in Angelo, quam in homine, quam in Mundo. Idem ibidem.

Pater lux ingentissima; Filius splendor pulcherrimus, & fulgentissimus; Spiritus S. amor ardentissimus. S. Bonaventura l. 21.

Ostenditur per omnem creaturam, quod in omnibus creaturis est vestigium Trinitatis: *omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit.* Sap. 11. 21. Glossa: In his tribus Dominus instituit, & gubernat, & judicaturus est. S. Bonaventura l. 3. in Octava Pent.

Videmus in rebus procreatis imagines rerum, nobis divinarum naturarum indicantes: ut cum dicimus summam S. Trinitatis excellentiam, per solem, & lucem, & radium: aut per rose plantam, & florem, & odorem, declarari. S. Joan. Damasc. orat. 1. de imaginib.

Unus sol, unus Deus: in una essentia tres Personæ. In uno sole una substantia, & ab una substantia tres formæ, lux, splendor, calor. De Patre dicitur 1. Joan. 1. 5. *Deus lux est, & tenebra in eo non sunt ullæ.* De Filio dicitur: *qui, cum sit splendor gloria, & figura substantia ejus,* Hebr. 1. 3. De Spiritu S. dicitur: *ignem veni mittere in terram.* Luc. 12. 49. S. Thom. Vill. conc. 1. de S. Augustino.

Per memoriam Patri similes sumus, per intelligentiam Filio, per voluntatem Spiritui S. S. Bernardus l. de anima c. 1. five Medit.

Quare in Missa ponantur panis, vinum, & aqua? In pane, qui corroborat, intelligitur Pater, qui est omnium fortitudo: in vino, quod lætificat, intelligitur Filius; qui est gaudium omnium nostrum: in aqua, quæ mundat, & lavat, intelligitur Spiritus S. Ezech. 36. 25. *Effundam &c.* S. Thom. Aqu. Opusc. 18. de exposit. Missæ Art. 2.

Osculum sanctum est; quod in signum S. Trinitatis datur. Idem in c. 16. Rom. Lect. 1.

Tria sunt invisibilia Dei: potentia, sapientia, benignitas. Ab his tribus procedunt omnia; in his tribus consistunt omnia; per hæc tria reguntur omnia. Potentia creat, sapientia gubernat, benignitas conservat. Quæ tamen tria, sicut in Deo ineffabiliter unum sunt; ita in operatione separari non possunt. Potentia per benignitatem sapienter creat: Sapientia per potentiam benigne gubernat: benignitas per sapientiam potenter conservat. Potentiam manifestat creaturarum immensitas, sapientiam decor, bonitatem utilitas. Richardus à S. Viçt. l. 2. c. 2.

Impossibile foret hoc Verbum esse Deum, si à Patre, & Spiritu S. esset separabile. Sicut ab hac dictione *ita*, quæ veritatem sonat, & tres in se literas continet, exemplum habetur. Si illarum enim aliquam subtrahas, eandem dictionem non efficerent. Simili modò

M m m m 3 intelli-

intelligendum est de tribus in una divinitate Personis. Revel. S. Brigittæ in die Dom. Lect. 1. c. 1.

Specialiter ignis representat SSS. Trinitatem: quia ignis apparet tripliciter: in flamma luce, & carbone. *Agua* triplex: condensata in nube, congelata in glacie, liquida in fonte, vel flumine. *Terra* II. 49. 12. *quis appendit tribus digitis molem terræ?* Omnis res habet principium, medium, & finem. Omnis *sonus*, juxta Isidorum, harmonicus, aut voce edicitur, scilicet per fauces, aut flatu, scilicet per fistulas; aut pulsa, scilicet per tympanum, Psalterium, & Citharam. Geminiani cap. 81. l. 1.

In nomine JESU, ut dicit Ambrosius, tota Trinitas representatur; quia JESUS interpretatur *unctus*: in quo intelligitur unctus, ungens, & unctio. Idem ibid.

Sicut tres colores faciunt in circulo celesti iridem; ita tres Personæ in deitate faciunt Triadem: puta unum, trinumque, Deum. Cornelius Comm. in 4. Proph. Major. in Dedicat.

Sicut idem numerò Christus existit in tribus hostiis consecratis, & hostiæ realiter à se distinguuntur; cum tamen essentiam habeant planè eandem, nimirum idem Corpus Christi: ita etiam essentia divina existit in tribus Personis, quæ in ratione Personæ realiter differunt; cum essentiam habeant eandem, & individuum. Idem ibidem.

## §. II.

## A SSS. Trinitate nobis collata beneficia.

## Ex Veteri, &amp; Novo.

*Confortare, & esto robustus.* Ios. 1. 6. Ter hoc repetit v. 6. 7. 9. ut indicet, eum Trinò, fumòque, robore SSS. Trinitatis egere. Cornelius hic.

*Requiescet sub vite sua, & sub sicu sua, & sub Oliva sua.* Ita legit Origenes. 3. Reg. 4. 25. Oremus, ut Jesus regnet super nos, & cesset terra nostra à bellis; cesset ab impugnationibus carnalium desideriorum: & cum ista cessaverint; tunc unusquisque *requiescet sub vite sua* &c. sub velamento enim Patris, & Filij, & Spiritus S., requiescet anima; quæ pacem in se recuperaverit carnis, ac spiritus. Origenes hom. 22. in Num. *Veni de Libano* &c. Cant. 4. 8. Dicit ter, *veni*, propter fidem Trinitatis, ad quam alios inducere debet. Vel, quia derelinqui Mundus non potest; nisi educat *Pater* suâ potentiâ. Psal. 135. 11. *educit Israel de medio eorum, in manu potenti.* Nisi *Filius* dirigat suâ sapientiâ: *educit illum sapientiâ à delicto suo.* Sap. 10. 2. Et nisi *Spiritus S.* attrahat suâ bonitate: *Spiritus Domini dulcor ejus fuit.* Isâ. 63. 14. S. Thom. Aqu. hic Lect. 1.

*Adveniat regnum tuum.* Matth. 6. 10. id est, veniat Pater, & requiescendo regnet in palatio memoriæ: Filius in palatio intelligentiæ: & Spiritus S. in palatio voluntatis humanæ. S. Bernardinus 1, 3. l. in dieb. Rogat.

*Et ad eum veniemus.* Joan. 14. 23. Hoc profectò magnum dilectionis est præmium, quòd Pater & Filius, per Spiritum S. DEUS unus, dilectio animæ intrinsicus, mirâ, & ineffabilis charitatis voluptate copulatur. S. Rupertus l. 11. hic.

*Misericordia vobis, & pax, & charitas, adimpleatur.* Judæ v. 2. Salmeron, & alij, misericordiam attribuunt Deo Patri: ipse enim est *Pater misericordiarum.* 2. Cor. 1. 3. Pacem Filio: *ipse enim est pax nostra.* Eph. 2. 14. Charitatem spiritui S. *charitas enim diffusa est* &c. Rom. 5. 5. Cornelius hic.

## Ex Patribus, &amp; alij.

A Patre potentiam, à Filio sapientiam, à Spiritu S. accipimus innocentiam. Pater eligit, Filius diligit, Spiritus S. conjungit, & unit. à Patre nobis datur æternitas, à Filio imaginis ejus conformitas, & Spiritu S. integritas, & libertas. In Patre sumus, in Filio vivimus, in Spiritu S. movemur, & proficimus. S. Cyprianus de Baptismo Christi.

Planè inseparabilis Trinitas, unus Deus inseparabiliter operatur. Veruntamen singuli horum, id est, Patris, & Filij, & Spiritus S., sicut Personæ proprietates, ita & in perfectione Mundi consideranda est actio propria: videlicet, ut Patris creatio, Filij redemptio, S. Spiritus propria sit opus, creaturæ innovatio. S. Rupertus Prologo in Gen.

Proprium erat opus Patris, facere, proprium opus Filij, redimere: proprium Spiritus S. opus, illuminare; & ad similitudinem Dei hominem producere: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem.* Idem l. 1. de op. Spir. S. c. 111.

O bone JESU! totius B. Trinitatis thesaurorum elargitor. S. Laur. Just. de in cend. am. cap. 6.

Lex naturæ appropriatur Patri, Lex scripta Verbo, Lex Gratiæ Spiritui S. Lex naturæ est, lex pietatis: pietas videtur inesse omni creaturæ, etiam insensibili. Radix enim totum, quidquid recipit, mittit ad ramos: fons, quidquid haurit, mittit ad rivulos. Similiter in bestiis pietas videtur esse Patris ad prolem; & quidquid gustant, & sumunt, præter necessarium, & etiam de necessario, in lac convertunt: & in nutrimentum prolis. Lex Scripturæ est lex Veritatis: quia est in quadam veræ promissionis pronuntiatione. Lex Sanctitatis est Gratiæ: lex spiritus liberavit me. Per hæc tria Deus Trinitas gubernat Mundum; & secundum hæc tria imprimunt leges in mente rationali. S. Bonaventura hexam. l. 21.

Tres habemus hostes: Carnem, Mundum, & diabolum. Sed quomodo huic nefandæ Trinitati poterimus resistere? Ex nobis nequaquam. Quid ergo faciendum? Habemus Trinitatem ineffabilem, Patrem, & Filium, & Spiritum S.; cujus auxiliò vincere possumus: per Patrem diabolum, per Filium Mundum, per Spiritum S. carnem, vincimus. Beneficiò Patris, & consiliò, resistimus diabolo: Mundo, Verbò Filij, & exemplò: Carni, obum,

obumbratione S. Spiritus, & incendiò. Vultus audire beneficium Patris? *misit Filium suum.* Joan. 3. 17. qui fortem alligavit diabolum. Consilium dedit nobis, quando dixit: *hic est Filius meus dilectus.* Matth. 3. 17. Obumbratione Spiritus *virtus Altissimi obumbravit tibi.* Luc. 1. 35. Incendiò enim charitatis incentiva carnis repellit. Blesensis l. 3. de S. Vincentio.

## §. III.

## SSS. Trinitas colenda, laudanda.

## Ex Veteri, &amp; Novo.

**F**aciamus hominem. Gen. 1. 26. Hinc incipies teipsum cognoscere, Nondum in ulla molitione hæc vox scripta est. *Fiat lux;* Cælum: sed sine consultatione. Stellæ; sed nulla præcessit deliberatio. Pelagus, atque innumerabilia maria, ad iubentis vocem extiterunt. Non, ut in aliis rebus, dixit, *fiat* homo. Disce pretium, ac dignitatem tuam. *Faciamus*, sapiens consultit, artifex meditatur. Et quid deest arti ejus? Quàm difficultate adductus consultit; ut absolutum, & perfectum, elaboratumque, faciat charum opus suum? An? ut offendant, te perfectum esse apud Deum? Cur autem non dixit, *facito;* sed *faciamus?* ut scias, Patrem fecisse per Filium, & Filium Paternâ creasse voluntate: laudaresque Patrem in Filio, & Filium in Spiritu S. S. Gregor. Nyss. Orat. in ea Scripturæ verba: faciamus hominem.

*Vespere, & manè, & meridie, narrabo* &c. Psal. 54. 18. Consuetudo ter orandi in die legitur aliam apud Danielem 6. 13. fortasse in honorem SSS. Trinitatis; cujus mysterium Propheciis non erat incognitum, Belarminus hic.

*Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus! Sanctus! Sanctus!* &c. Isa. 6. 3. Dicamus & nos: *Sanctus* &c. Sanctus in creatione, Sanctus in redemptione, Sanctus in sanctificatione nostra. Sanctus in coelo, Sanctus in terra, Sanctus in gehenna. Sanctus in gloria, Sanctus in gratia, Sanctus in justitia. Sanctus glorificans Angelos, Sanctus justificans homines, Sanctus puniens demones. Sanctus in utero, Sanctus in præsepio, Sanctus in patibulo. Sanctus in miraculis, Sanctus in doctrinis, Sanctus in exemplis. Sanctus in Christianis, Sanctus in Judæis, Sanctus in Gentibus. Sanctus in potentia, Sanctus in sapientia, Sanctus in providentia. Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus S. Cornelius hic.

*Non tetigit eos omnino ignis.* Dan. 3. 50. Edax ignis in tribus pueris sanctum, & divinum, Ternarium reverebatur, & tremebat. S. Chrysost. in Ps. 96.

*Ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Joan. 17. 22. Et Monachi, & Ecclesiastici, Trinitatem expriment. Plures personæ sunt; sed natura una. Idem sapiant; quamvis alter præsit, ministret alter. Non con-

fundendæ personæ: alia est enim persona Patris, - sed tamen natura una, unaque voluntas. Non Dominus, sed Pater, audiatur in nobis: non servus intra nos, sed Filius, compelletur. Quique ex his prodeunt, non mancipia putentur; sed amoris factus. Olival. 12. Strom. §. Rogo Pater.

## Ex Patribus &amp; aliis.

Submittimus nos Patri; ut sanctificemur: submittimus nos Filio; ut hoc ipsum fiat: submittimus nos Spiritui S.; ut id efficiamur, quod ille est, ac dicitur. S. Gregor. Nyss. Orat. in diem Lum. Animus, ab iracundia alienus, templum est Spiritus S. In Spiritu mansuetudinis caput Christus inclinat: & mens pacifica S. Trinitatis est domicilium. S. Nilus or. 4. de ira.

Aripando fratri charissimo. Exigis, dilectissime fili, ut tibi aliquid scribam: & qui, me dictante, frequenter alii scriptitas, ut tibi quòque aliquid scribatur, imploras. Sed unde scriptori congruentius incipiam scribere, quàm à scribendi ipsius Musicâ dignitate? In te quippe, qui scribis, tres sunt digiti, & una manus: cui verò scribis, tres Personæ, & unus Deus. Cùm igitur ex diversis apicibus continuum ducis articulum; ad illum semper unum tua dirigatur intentio; cujus in temetipso, per quandam similitudinem, conspicis Sacramentum. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 18.

Fidem tibi non fallam, ô Pater expers principia! non fallam fidem, ô sermo Unigenite! non fallam fidem ô Sancte Spiritus! scio, quid professus fuerim; à quo me disjunxerim, & cui me adjunxerim. S. Gregor. Naz. orat. 11. Adv. Arianos.

Honora Patrem meum, dilige me, obedi S. Spiritui meo. Revel. S. Brig. l. 1. c. 3. V. C.

Miles suspensus in tertium diem vixit, ob SSS. Trinitatem, & vulnera Christi quotidie culta. Depositus à furca, à Sacerdote accepit, quod petivit: peccatorum scilicet absolutionem, & Communionem; quâ acceptâ mox expiravit. Stengelius t. 1. div. judic. c. 15. ex Cæsar. l. 9. c. 49.

Duo fratres, propter morum arborem, graves habebant rixas, quovis eorum, suam esse afferente. S. Franciscus de Paula charitate mortuus, optans lites tollere, ad orationem confugit; & eâ finitâ, ad arborem conversus: ô creatura Dei, ait, ego minimus servorum ejus, in nomine SSS. Trinitatis impero tibi, ut componas litigia inter istos dominos temporales. Et mox arbor illa in duas divisa est partes, æquales, ut quisque dimidium habuerit. Paoletti l. 10. de S. Franc. de Paula.

## §. IV.

## SSS. Trinitatem ama, non offende.

## Ex Patribus, &amp; aliis.

**A**derit quoque; tunc in Judicio Deus omnium Pater, assidente Christo, & præsentem Spiritum Sanctum, S. Cyrill. Jerof. Catech. 15.

Cùm

Cum Scripturam sanctam legimus; Verbum DEI tractamus; Filium DEI per speculum, & in ænigmate, præ oculis habemus. Et revera, si benevoli lectores sumus, si benevoli auditores lectioni assistimus legendo, vel audiendo, accendimur: legendo, vel audiendo, ad amorem DEI proficimus. Nonne ergo de Scriptura sacra nobis amor DEI processit? Quid autem est amor DEI? nisi Spiritus DEI? Procedit donum ex Patre; ut, per Scripturam intellectam, cognoscamus Filium Patris. Procedit nobis amor ex intelligentia Scripturæ; ut amemus Patrem Filij, & diligamus Filium Patris. Nonne ergo jam nobis etiam hõc modò Spiritus Sanctus ex Patre, Filioque, processit? S. Rupertus l. 1. de oper. Spir. S. c. 6.

Pensa charissime, quam beatissima Trinitas amanda sit: quæ sic tota nobis intendit; imò quæ se totam nobis impendit. S. Bonaventura f. 3. in oct. Pent.

Deus est, Deus Abraham, confereudo fidem: Deus Isaac, conferendo spem: Deus Jacob, conferendo charitatem. S. Bonaventura in Pf. 45.

Imperator Valens, malevolorum adductus sermonibus, incubuit ad voluntatem ejiciendi Basilium in exilium. Cæterum calamus flatim, nolens iniquo subservire consilio, ultrò contractus est. Secundum calamus arripuit, ad subscribendum sententiæ exilij, & ille contractus est. Tertium; & hic contractus. Tres calami consubstantialitatem Trinitatis prædicanti patrocinati sunt. S. Ephrem, Encom. in S. Basilium M.

Triplex genus peccatorum. Alia enim sunt, in quæ incidimus per infirmitatem; alia, quæ incurrimus per errorem; alia, quæ committi-

mus per solam iniquitatem. Secundum hunc triplicem peccandi, modum, dicimur peccare in patrem, peccare in Filium, peccare in Spiritum Sanctum. Nam, quamvis una, eademque, sit potentia, sapientia, & bonitas, sit Patris, & Filij, & Spiritus S.; Secundum quandam tamen modum loquendi in quibusdam Scripturæ locis, potentia Patri, Sapientia Filio, benignitas Spiritui S. (quasi specialiter) videntur assignari. Qui igitur per infirmitatem delinquit, ei utique valde contrarius est, qui summa potentia est. Qui verò per solam malitiam offendit; quomodo ei magis adversarij potest, qui summa bonitas est? Rich. à S. Viçt. tr. 2. c. 3.

Pœnitens obligatur Deo Patri, ex peccatis, quæ fecit ex fragilitate: quia Deo Patri attribuitur potentia. Solvitur autem ista obligatio per asperam, duram, & magnam, pœnitentiam. Secundò obligatur Filio DEI, ex peccatis, quæ commisit per ignorantiam; ignorans, quod tenebatur scire. Solvitur hæc obligatio, audiendo sapientiam divinam, Missas, sermones, bonas lectiones. Tertio obligatur Spiritui S. ex peccatis, quæ commisit per malitiam, & iniquitatem. Solvitur ista obligatio per bonitatem, faciendo opera misericordie, tam corporalia, quam spiritualia, S. Vinc. Ferr. f. in Vig. Epiph.

Potentia ad Patrem; Sapientia ad Filium; cæcitas ad Spiritum S., pertinet. Quando ex fragilitate peccamus; peccamus in Patrem, quasi contra potentiam: quando ex ignorantia; peccamus in Filium, quasi contra Sapientiam: quando verò ex malevolentia; peccamus in Spiritum S., quasi contra dilectionem. Blesensis f. 29. in Als. B. V.

## TITULUS XIII. TRISTITIA.

### §. I.

#### Figuræ, Symbola.

**S**cissisq; vestibus. Gen. 37. 34. Vetus mos, in luctu scindere vestes: eratque hoc Symbolum plactûs. Scissio enim vestium significabat, scissum dolore cor. Cornelius hic.

*Nudis pedibus* &c. 2. Reg. 15. 30. Hebræi, & postea Romani, nudò capite incedebant: quasi liberi, & expediti: in luctu verò caput operiebant: ut patet 2. Reg. 19. 4., & Jerem. 14. 3. Nimirum sciebat David; sibi non tam cum Absolone, quam cum Deo, rem esse. Eum itaque prius hisce pœnitentiæ armis expugnare decrevit. Cornelius hic.

Verbum *sedendi* significat tristitiã: *sede in pulvere virgo filia Babylon.* Isa. 47. 1. *Quomodo sedet sola civitas?* Thren. 1. 1. *Dies multos sedebunt Filij Israël sine rege.* Os. 3. 4. *Surgite, postquam sederitis.* Pf. 126. 2.

*Cum serò esset.* Joan. 20. 19. Erat plus mœroris, quam tempore: Serò, est mœroris, & tristitiæ, nubilò mentibus obscuratis. - Nullæ noctis tenebræ caligini mœroris, & formidinis, comparantur. S. Chrysol. f. 34.

### §. II.

#### Tristitia vitiosa, & indifferens.

##### Ex Veteri, & Novo.

**D**avid tollebat *citharam* &c. 1. Reg. 16. 23. Franciscus Valles. f. Philos. c. 28. dæmones melancholicos invadunt; aut melancholicas humores hominibus inferunt. Quocirca, qui tentationes diaboli evadere cupit; caveat à melancholia. Cum suspiciones, timores, angores, scrupulos, ingerit; dicat: non credo vobis: vos enim proceditis à meo hoste; scilicet damone, & melancholia. Falsa sunt, inepta sunt, stulta; quæ mihi representatis. - Hinc S. Antonius, teste S. Athanasio, dicebat: nihil efficacius est ad vincendos dæmones

dæmones, quàm lætitiã spiritualem. Et S. Jacobus 5. 13. *tristatur aliquis vestrum? oret.* S. August. l. 9. conf. c. 6. quantum fleui in hymnis, & Canticis tuis, suavisonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter! voces illæ influebant auribus meis; & eliquabatur veritas tua in cor meum; & ex ea æstuebat inde effectus pietatis; & currebant lacrymæ; & bene mihi erat cum eis. Cornelius hic.

*Acerum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.* Prov. 25. 20. Galenus l. 3. de medicam. compos. docet: nitrum optimè solvi acri vinò, ac acetò. Hinc aliqui sic exponunt, sicut acrum refringit vinã nitrì, ac nitrum vim aceti; sic suavis sermo, & cantilena, in fringit, lenitque sensum malitiã, id est, mœstitiã cordis. Cornelius hic.

*Omnis plaga, tristitia cordis est.* Eccl. 25. 17. Syr. *omnis plaga non est, sicut plaga cordis.* Tigr. *summa plaga, est mœror animi.* Ratio: quia mœror immediatè totus est in anima, qui maximè est sensitivus: cœteri enim dolores; ut verbera, vulnèra, adustiones, sunt in corpore; & per corpus, quod in se sentiendi vim non habet, quasi refracti, recusi, & imminuti, transeunt ad animum; ubi est, Cornelius hic.

*Regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno.* Luc. 24. 52. Non patitur in suis Deus tristitiã; sed vult eos hilares, Sylveira in Act. 1.

#### Ex Patribus, & aliis.

Sicut est puer parvulus ad tristitiã; qui interdum tempore mortui patris, vel matris, vel alienus amici, ridet, & ludit: talis fiat vir; habitudinem puerilem, circa tristitias repellendas, perfectioris animæ ratione commutans. Origen. tr. 5. in 18. Matth.

Omnis, qui placet, hominibus displicet; causas tristitiæ nullas habet. S. Gregor. mor. l. 15. c. 22.

Tristantur facillè, quorum spes extat in imis. V. Beda in proverbii.

Nihil roboris habet tristitia, nisi reliquæ adsint perturbationes: quemadmodum nec vincula quidquam possunt, nisi adsint, qui illa admoveant. Qui, tristitiã obstrictus est, is victus est à perturbationibus; & tristitiæ vincula circumfert, tanquam indicia calamitatis suæ. S. Nilus or. 5. de tristitia.

Victor passionum victor est tristitiæ. Quem vicit voluptas, is non facillè effugerit tristitiæ vincula. Qui Mundum diligit, is, necesse sit, ut subinde contristetur, & mœreat: qui autem, quæ in Mundo sunt bona, nè tantilli quidem ducit, jugi lætitiã perfructur. S. Antiochus Abb. hom. 20.

Si quis Mundum omnino odit, hic tristitiã effugit. Porro, si quis quilibet visibilium rerum affectione mordetur, tristitiã nondum liberatus est. Joan. Clim. gr. 2.

Tristitiã, si potes, nè admiseris: sin minus, nè ostenderis. S. Martinus Bracar. Maximæ de moribus.

*Polyanth. Sacr. Tom. II.*

#### §. III.

#### Tristitia bona, salubris.

*Contristatus sum in exercitatione mea.* Psal. 54. 3. Hic oportet contristari, si velimus in futuro ad lætitiã transire: omnes enim, motus à contrario in contrarium sunt. Eligat igitur hic unusquisque, quod voluerit; lætitiã scilicet, vel tristitiã: quia hinc ad suum contrarium transiturus est. *Tristitiã vestra vertetur in gaudium.* Joan. 16. 20. Hugo Card. hic.

*Beati, qui lugent.* Matth. 5. 5. Religiosã tristitiã aut alienum malum luget, aut proprium. S. Leo hom. 9. de jejuniis.

*Filie Jerusalem nolite flere super me.* Luc. 23. 28. Jerusalem filiã, animã sunt pacis; quæ super nullo affici lamentis, doloribus, debent; præterquam quod Dei displicentiã generat. Nihil enim mœstitiã dignum, nisi peccatum. Sim. Cass. l. 13. hic.

*Non turbetur cur vestrum.* Joan. 14. 1. Nulla major causa perturbationis, atque tristitiæ, quàm separari à dilecto; ab eo; quod neque fallere, neque falli, potest. Id. l. 12. c. 1.

Cum nos, vel proximi peccant; tunc tristandum est: cum autem in humanos casus incidimus, inutilis tunc tristitiã. S. Chrysost. hom. 77. in Joan. 16.

Tristitiã nobis Deus non ob aliud indidit, nisi propter solum peccatum; & hoc per ipsam rerum experientiam manifestavit. In pecuniarum enim mulcta, in morte, & ægritudine, & aliis nobis ingruentibus molestiis; dolentes, & mœrentes, non tantum nullam consolationem capimus; verum & molestias augemus. In peccatis verò si doleamus, & contristemur; peccati magnitudinem minuiamus: & quod erat magnum, reddimus parvum: sæpe verò & funditus ipsum totum delemus. S. Chrysost. hom. 7. ad pop.

Sanctorum luctus multiplicatum gaudium, pro portione, parit. Simile mihi videtur hoc: ut, cum rosaria plantantur; tunc enim nihil, præter spinas, cernitur; neque tamen ideo plantare desinunt. Sciunt enim, novò vere rosaria ipsa mirã florum, ac rosarum, specie aspectus hominum, & odoratus etiam, oblectare. Isidorus Clarius l. 2. or. 8.

#### §. IV.

#### Tristitia Christi.

#### Figuræ.

*Petivit animæ suæ, ut mœreretur.* 3. Reg. 19. 4. Unde tantus pavor? tanta consternatio in Elia? qui paulò antè erat impavidus; certabat cum Achab, & Baalitis, eosque superaverat. Respondeo: quia subduxit illi Deus robur à se inditum: ut agnosceret, fuisse donum Dei se verò ex natura sua timidum, ut alii sunt homines. *Secundò* repræsental infirmitatem Christi paventis in horto. Ità Rupertus l. 5. c. 10. apud Cornelium hic.

Christi tristitiã in horto vocat Anastasius Sinaita: tristitiã in pariendis filiis, & tristitiã conturbantem Christi animam usque ad mortem.

Non nn

tem.

tem. Columbam nomine, referunt medici, gravidam parturisse multos dies; & per conatus illos naturæ, ad obstetricum studia nihil promovisse. Triennium igitur lecto affixa decubuit. Deinde, resumptis utcumq; viribus, ambulavit, viginti quinq; annos uterum gerens. Tandem extinctæ, atq; medicorum scalpro exactæ, in utero deprehensus est infans, in lapidem durissimum conversus: quod vidisse se Parisiis Anno 1609. affirmat Aubertus Myraus, vir à Scriptis clarissimus. Non unum, ut illa; aut ut Rebecca, geminos, etiam collidentes in utero, gestavit Christus; sed quotquot homines erant in orbe futuri: adeoq; illos omnes triginta tres annos, quoad vixit, eniti conatus est ad vitam; & in lucem Evangelij parturivit. At quam multi obdruerunt ut lapis! De Nabal immitti 1. Reg. 25. 37. *emortuum est cor ejus intrinsecus; & factus est, quasi lapis.* Quam acerbò putas Christi parturientis sensu, Judæi, Scribæ, Pharisei, ad prædicationem ejus obdruerunt! *Quasi lugens, & contristatus, sic humiliabar.* Ps. 34. 14. S. Hieron. legit, quasi lugens mater tristitiâ incurvabar. Doultreman. l. 2. c. 3. de amore Sect. 10.

#### Varia de tristitia Christi.

*Tristis est anima mea usq; ad mortem.* Matth. 26. 38. Pia est tristitia Christi, & ab ipso sanctè suscepta in horto pinguedinis: ut in ipso puniretur, quòd in horto primævo malè fuit lætatus Adam. Sim. Cas. l. 13. c. 11. *Tristis* &c. id est, vehementissimè contristatur: ita ut tristitia hæc, & mors, unò duntaxat gradu, videantur distare. Dion. Carth. hic.

*Et factus est sudor ejus.* Luc. 22. 44. Tam vehementem tristitiam, & timorem, Christus

assumpsit: non solum ex consideratione Passionis sibi instantis; sed etiam ex consideratione ruinæ, & ingratitude, destructionisque Judæorum; propter quorum salutem specialiter fuerat missus. Et quia videbat, Passionem suam tam multis non debere prodesse, imò magis obesse, propter eorum ingratitude, & peccata: itèmq; quia omnium Electorum suorum futuras tribulationes, quas pro ipso passuri erant, usque in finem Mundi, prævidit; & intimè eis condoluit. Dion. Carth. hic.

Unò JESUS tempore fruebatur Dei visione; & intolerabili passione gemebat: ut tota divinæ fruitionis gloria in eo militaret ad penam. Nam quemadmodum omnes cognitione antecessit; ita, etiam & mœrore. Apposita est illi scientia, appositus est & dolor. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 19.

Suscepit tristitiam meam, ut mihi suam lætitiâ largiretur: & vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam; ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam. S. Ambros. l. 10. in Luc. 94. Mœstitiâ prætebat, quam non ex metu mortis suæ; sed ex mora nostræ redemptionis assumerat. - Non propter mortem, sed usque ad mortem, tristis est Dominus: quòd in certamine Passionis mors corporis, absolutio, anxietudinis, non coaccervatio sit doloris. S. Ambros. l. 7. in Luc.

Hoc dolebat mihi, & contristabar pro persecutibus me: quia volebant penitentiam agere. Ego in cruce pendebam, & sanguine meò lavabam sordes eorum; & ipsi volebant agere penitentiam. Hæ erant lacrymæ meæ; hæc compunctio: persequentes me non potui salvare. S. Hieron. in Ps. 108.

## TITULUS XIV. TURCÆ.

**A**NNO 1509. 14. Septembris terræ motus octodecim continuò diebus, murum Constantinopolis, quâ parte mare spectat, cum omnibus adjacentibus domibus disjecit, & fossas ruderibus implevit. Sed mirum id fuit: cum multæ Turcarum Moschææ collaberentur, Christianorum tamen templa illæsa manserint. Ipsa Sophia ædes nihil mali sensit, præter turrim à Turcis post captam urbem, templo in sine, ornatis gratiâ annexam; quæ tota præcipitata periit. Sed & illò terræ motu, calx, & cœmentum, quò Beatorum imagines post captivitatem urbis coopertæ fuerant, ita separatim ab imaginibus ceciderunt, quasi arte novâ jam primum suo splendore essent redditæ. Stengelius t. 2. judic. div. c. 18.

B. Catharina Bononiensis prævidit Orientalis Imperii excidium, & Constantinopolitanam captivitatem. Pro qua cum rogaret, nè Christianum Imperium in potestatem Turcicam deveniret; admonita est à Deo, sinem

precandi facere: quod ob Græcorum flagitia, & impietatem, oporteret à Christiano Corpore illud imperium rescindi. Bollandus 9, Martii.

Notat Genebrardus in Chronol. eodem ferè annò, quo Ottomannus usurpavit Imperium Turcarum, Deum creasse Imperatorem Christianorum Rudolphum Habspurgensem; à quo Austriaci descendunt: quasi eos Ottomanicis opposuisse videatur. Sicut tradunt Hebræi: eò die, quò Nabuchodonosor diruit templum, natum esse Cyrum, qui ejus posteros delevit. Cornelius in Cant. 7. 1.

*Et ecce equus pallidus.* Apoc. 6. 8. Optimè Joachim, Seraph. Firmianus, Pannonius, & Pererius, per hunc equum intelligunt Sectam Mahometis, Turcas, & Saracenos, infensissimos à mille jam annis hostes Christianorum: hi enim post Gothos, Arianos, aliosque præfatos hæreticos, Ecclesiam gravissimè infestaverunt. Cornelius hęc.

Credite

Credite fratres, quàm diu in his moribus Ecclesia vixerit, frustrâ bellatur in Turcas: prius contra mores, quàm hostes, pugnam dum. Corrigamus ergo vitam, & adhæreamus Deo; & ipse pugnabit pro nobis. S. Thom. Vill. l. 1. D. 2. Quadr.

Non est, fratres, cur Turcarum ferocitatem timeamus nos, quibus Deus præsidio est, qui illis est contrarius. Alium Turcam ego magis timeo, qui intrâ nos latet; peccatum scilicet, ingratitude, aversionem. *Si populus meus audisset me &c. pro nihilo forstian &c. Pl. 80. 14. Idem f. in Rogat.*

## V.

TITULUS I.  
VANITAS

## §. I.

Figura, Symbola, definitio.  
Ex Veteri.

**D**ormivitq, Salomon cum Patribus suis. 3. Reg. 11. 43. Jam ante proclamârat Salomon totiq; Mundo concionatus: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas!* & tamen vanitas, vanâque species mulierum, eum in senio dementavit, vanumq; reddidit; ut se ipsum fecerit summum vanitatis spectaculum: evanuit enim ejus sapientia, sanctitas, felicitas, gloria, sanitas, vita, utinam non æterna! Quid est homo etiam sapientissimus, ditissimus potentissimus; si DEUM deserat, & à DEO deferatur? non est aliud, quàm mancipium vanitatis, imago stultitiæ, præda mortis, ærumnarum abythus. O si Salomoni liceret ad vitam redire; qualem ageret poenitentiam, qualem institueret vitam, quid mortalibus inelamaret? utiq; illud Salvii ad mortem revocati apud Greg. Turon. l. 7. hist. c. 1. audite filij Adæ, & intelligite: quia nihil est, quod cernitis in hoc Mundo, sed omnia vanitas. Omnia ergo, ut vana, contemnit; ut veram gloriam Dei mereamini adipisci in cælo. Cornelius hic.

*Utsuequo parvuli diligitis insantiam?* Prov. 1. 22. id est, sæculi vanitatem. *Et stulticia, que sibi sunt noxia, cupiunt;* id est, temporalia: quia sunt ignis, & gladius: quæ duo pueri libenter tenent; donec comburantur, aut jactantur. Hugo Card. hic.

*Hedera Jona 4. 6.* Symbolum est vanitatis Mundi, omnisque rei, & spei, mundanæ. De hac enim hedera in Hebr. v. 10. hic dicitur: *Filia noctis erat, & filia noctis perivit;* id est, unâ nocte nata est, unâ etiam nocte perit. Annon filia noctis est honor, delicia, divitiæ; quæ unâ nocte obveniunt; unâ nocte durant. Cornelius hic.

## Ex Novo.

*Plurima autem turba straverunt vestimenta sua &c. Matth. 21. 8.* O quàm dissimile est, tolle! tolle! crucifige eum! & benedictus, qui venit &c. Quàm dissimile, Rex Israel; & non habemus regem, nisi Casarem. Quàm dissimiles rami virentes, & crux; flo-  
*Rosanthæ Sacra. Tom. II.*

res, & spinæ. Cui prius sternebantur vestes alienæ; ecce suis exiit. S. Bernardus l. de Pals. Dom.

*Facta est nubes.* Luc. 9. 34. En, quod felicitas recidat! en, quomodo apparatus ille majestatis evanuerit! en ut sol genarum mutetur in nubem! Ita ut plurimum serenitas potentia nubilâ excipietur; & fortuna agnatum secum trahit nimbum lacrymarum. Soli nubes succedunt, splendor umbrâ funestatur, rutilantia indumenta tandem intumbrantur. Oliva l. 13. Strom.

*Nec Salomon in omni gloria &c. Luc. 12. 27. Si autem sanum &c.* Præfertur lilii gloria gloriæ Salomonis: cum tamen Rex iste omnes majestatis splendores superavit; & flos ille tantum unâ die in aquo resplendet. Aded humana gloria brevis est; ut longum spatium fuerit dies. Naxera in Jos. 1. §. 39.

## Ex Patribus, &amp; aliis.

Sicut videri nequit in rota, quæ continuo versatur, aliqua pars ejus; eò quod crebrâ circumferentiâ semper summa fiant ima; & ima summa: ita etiam nostrarum rerum impetus, dum continuo vertuntur, summa facit infima. Ut videre licet in divitiis, potentis, & aliis. S. Chrysost. tom. 1. de nomine Abram.

Umbræ, & rotæ; & tristia, & læta, hujus vitæ tempora: nam, quemadmodum umbra, non manent; & ut rota, vertuntur. S. Nilus in parænesi.

Res nostræ velut orbe quodam volvuntur: aliàs sæpe unâ, eodemque, die, atq; etiam interdum horâ, mutationes advehente. S. Gregor. Naz. de paup. amor.

Heu! cuncta paulatim, etiam præclara, pereunt! pereunt, ut exigua supersint reliquæ. Velut solo vexato à magnis imbribus aliis supersunt avectis silices modò. Idem. Poemate de vita sua. Quidquid in hoc sæculo magnum videtur, umbra, vel somnia, deputanda sunt. Aponius l. 6.

Theophrastes docet, chameleontem ex rorè vivere, & sæpe deprehensum, muscas comedere. Atque hinc fortè orta vulgi opinio, eum ex aere vivere. Symbolum eorum, qui ventò honoris, & muscis deliciarum, se pascunt. Quàm multi Christiani stolidiores Domitiano! qui, cum salutem suam æternam pro-

N n n n 2

vare